Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/vetvstissimaetab00pign

VETVSTISSIMÆ TABVLAE AENEAE

Sacris Ægyptiorum Simulachris cœlatæ accurata Explicatio, in qua antiquiſſimarum ſuperſtitionum Origines, Progreſſiones, Ritus ad Barbaram, Græcam, Romanamque Hiſtoriam illuſtrandam enarrantur, & multa Scriptorum veterum loca qua explanantur, qua emendantur:

AVCTORE LAVRENTIO PIGNORIO PATAVINO.

Acceſſit ab eodem AVCTARIVM, *in quo ex antiquis Sigillis, Gemmisque ſelectiora quædam eius generis, & veterum Hæreticorum amuleta exhibentur.*

Venetijs Apud Io: Anto: Rampazettus. 1605. Sumptibus Iacobi Franco. Cum Priuilegio.



CAESARI BARONIO
S. R. E. CARDINALI.

Laurentius Pignorius Pat. S.

PRIMITIAS fructuum Regibus offerri antiquissimi, vt audio, moris fuit. eo, ni fallor, consilio vt præstantissimæ inter homines dignitati, & ad diuinam illam proxime accedenti iustus ea ratione, & legitimus honor persoluere tur. id mihi institutum adeo placuit, vt cum pridem adhortatione MARCI VELSERI II VIRI AVGVSTANI Mensæ antiquissimæ explicationẽ tum instituissem tum absoluissem; eaq; Bibliothecæ tenebras perosa lucem publicam cogitare incepisset, decreuerim ego ingenij mei nouitium (vtinã non præcocem) fœtum amplissimo nomini tuo CÆSAR CARDINALIS inscribere. deterruit me ali quantisper conscientia imbecillitatis meæ. at moras nectentem impulit eximia primum probitas tua, quæ CLEMENTIS VIII. PONT. OPT. MAX. qui nunc felici Imperio Christianũ Orbem moderatur, beneuolentiã ad inuidiã vsq; & allicuit, & retinuit partam: tutela deinde studiorũ nostrorum, quorum tu non modo es ἀφροδίτη καὶ λύρα sed & Pater & Rex. quotus enim quisque eorum, qui in

his ſtudijs, tamquam ad Sirenum ſcopulos, con ſenuerunt, opes haſce humaniorum litterarum animumque adiecit ad ea ſacratum litterarum monumenta illuſtranda, quibus tu magno rei Chriſtianæ bono veteres illos Patres æmulatus antiquitatis tenebras deterſiſti? factum eſt per egregias lucubrationes tuas, vt Caij, Hegeſippi, Africani, Euſebij operoſa illa nobiliaque volumina perijſſe minus moleſte feramus. & quod caput eſt inſanas te Nouatorum ſubſtructiones admotis Annalibus tuis quotidie euertentem boni omnes ſuſpiciunt & admirantur. his accedat deberi tibi ſummo iure hęc ab eo, qui MARCO CORNELIO maximi exempli EPISC. PAT. qui ſe iampridem totum ſuaq; tibi addixit, omnia debeat. laudabit ille familiaris ſui propoſitum, qui obſcuritati ſcriptorum ſuorum lucem clariſſimam prætenderit nominis tui. verum ne longiori ſermone morer tua tempora, quorum etiam momenta in vtilitatem publicam impenduntur, hæc omnia me impulerunt, vt commentariolum meum tibi dicarem, cui me quantus quantus ſum, iamdudum deſtinaram. tu me pro humanitate tua patere in Clientum tuorum Album referri; ego viciſſim quatenus licuerit dabo operam, vt non indignum omnino in Clientelam tuam recepiſſe videare. Vale. Patauij.

INDEX.

A

Absinthium marinum Isiacorum geſtamen. 14. *b.*
Achelous. 15. *b*
Achilles Tatius quid de Crocodili dentibus. 20. *b.*
Accipiter qua ratione ſacer. 26. *b.* 31. *b.* 36. *b.*
Aelianus reprehenſus. 35. *a.*
Aeris vſus in ſacris. 7. *b.*
Aegyptiorum Deorum ſigna gracilia & cur. 7. *a. compoſitis pedibus.* 26. *a. ad indigenarum ſimilitudinem efficta.* 27. *a* 28. *a.*
Aegyptiorum ſacra pleriſq; irriſa. 2. *b.* 3. *a. b.* 6. *a. quando Romæ recepta.* 5. *b.*
Aegyptij primi ſigna Cœleſtia obſeruarunt. 3. *b paſtores ouium deteſtati.* 11. *b. cum feris veſcebantur.* 4. *a. quid a Iudæis acceperint.* 16. *a. blæſi Ariſtoteli.* 26. *b.*
Aegyptus portentorum mater. 3. *a. in Aegypto Moyſes detrectat ſacrificare.* 3. *a.*
Agathodæmones Dracunculi. 3. *a.*
Alexander Abonotichita. 39. *b.*
Allegoriæ Platoni improbatæ. 1. *a.* 30. *b. cur inuentæ.* 1. *a.*
Ammianus illuſtratus. 5. *a. reprehenſus.* 25. *a.*
Animalia ſacra 3. *a. turbarum cauſæ.* 21. *a. b. interemiſſe capitale fuit.* 3 *a* 39. *a.*
Anubis. 31. *b numen cœleſte, & terreſtre, idē qui Mercurius.* 32. *a.*
Apices tortuoſi, capreolatimque condenſi. 5. *a.*
Apis quibus ſacer. 18. *a.* 19. *b.* 20. *a. qua matre genitus.* 18. *a. quando ab Hebræis cultus.* 19. *b.*
Appuleius declaratus. 5. *a.* 42. *a.*
Aquæ effuſio ſollemnis in excitando Sarapide. 38. *a.*
Arnobius declaratus. 32. *b.*
Aſinus Typhonis ſymbolum. 42. *a.*
Aſpis Iſidis. 13. *b. ſideribus quare comparata.* 25. *a.*
Aſtaroth Sidoniorum. 19. *b.*

B

Baal Sidoniorum. 19. *b.*
Baculi in æde Isidis quare. 22. *b.* 23. *a.*
Bacis Taurus. 24. *b.*
Baris nauis & mons. 36. *a.*
Barbatum monstrum. 40. *a.*
Blæsi Aethiopes & Aegyptij Aristoteli. 26. *b.*
Blæsitatis genera sex. 30. *a. hæc quid.* 28. *a. b*
Boues quorum Dij. 19. *b. Bos fœmina.* 40. *a.*
Bybliorum luctus. 1. *b.*

C

Capræ quæ Isidi in delicijs. 9. *b. ab Aegyptijs cultæ.* 37. *a.*
Caprarijs honorem Mendesij habuerunt. 11. *b.*
Cæl. Calcagninus. 14. *b.*
Camos idolum. 19. *b.*
Capillitium Isidis. 20. *a.*
Calathus Isidis Osiridisque capiti super impositus cur. 25. *a.*
Carpocratiani. 37. *a.*
Canopus. 38. *a.*
Cambysis stratagema. 38. *a.*
Canes in pompa Isidis. 40. *b. Memphytici.* 41. *a. Canes & Mercurius synonimi apud Aegyptios. ibidem.*
Cercopithecus sacer. 11. *a.*
Ceres eadem cum Iside & Luna. 17. *b.* 18. *a.*
Cicuma 14. *b.*
Cleomenis Alexandrini vafrities. 21. *b.*
Corona Teletarum e Palmæ foliis. 9. *b.*
Cornutæ acies. 11. *b.*
Cocinensium Boues Dij. 19. *b.*
Crux ansata & quare. 9. *a. inter sacras litteras vbi & quando inuenta.* 9. *b.* 38. *a.*
Crocodilus Solis symbolum & cur. 20. *b. quibus sacer.* 21 *a. Crocodilus Typhon. b.*
Crœsus quare Delphos Leonem aureum miserit. 23. *a.*
Crotalum a Sistro diuersum. 34. *a.*
Cucupha auis. 14. *b.* 15. *a.*
Cynocephalus stans. 23. *a.* 24. *a. eiusdem docilitas.* 24. *b.*

INDEX.

D

Dagon Phœnicum Deus. 19. b.
Darij Strategema. 19. a.
Dij in animalia mutati, & cur. 3. b.
Diabolus DEI æmulator. 16. a
Diana multimammia. 17. b. eius Templum Bubasti. 33. b.
Diademata Regum Aegyptiorum. 23. b. DEI & sanctorum. 24. a.

E

Eneph Deus. 3. b.
Ephesiorum Diana. 17. b.
Ethnicorum offuciæ. 38. b.
Eumenuthis Canopi. 22. b. 38. a.

F

Faria Ceres. 12. a.
Fascini ficulnei, & Coriacei. 16. b.
Fascini Icones. 17. a.
Felis in cuius Dei peculio. 31. a. 33. b.
Fluuij cornuti. 15. b.
Fronto quid Christianis obiecerit. 37. a.

G

Galenus & Iul. Pollux contemporanei. 29. a.
Gnostici. 37. a.
Goropius notatur. 5. a. 7. b. 25. b. frustra a. Lipsio. 9. a.
Gratiæ. 22. b.
Gryps Solis animal. 15. a.
Guil. Budæi sententia refellitur. 29. b.
Gyraldus arguitur. 7. b.

H

Hasta Osiridis & Bacchi gestamen. 11. a.
Harpocratis Sacerdotes Buti. 26. a.
Hecate, seu Tithrambo 22 b.
Herodotus declaratur. 23. a 26. a.

Hirun-

Hirundines Iſidis aues.34. b.
Hircus.11. a. 37. a. biceps.40. b.
Hippopotamus.41. b.
Hydria in Pompa Oſiridis & Iſidis. 38. a.

I

Ibidis & Crocodili inimicitiæ. 22. a. 39. a. deſcriptio. 38. b. Manſio.39. b.
Ignorabiles litteræ.5. a.
Iſis quæ.1. b. 12. a. 2. a. 5. b. 7. b. eiuſdem Area, Aræ, templa.5. b. 6. a. veſtes multicolores.10. a. ſtella.16. a. Cornuta cur.15. b. mammoſa.17. b.
Ithyphalli 16 b.
Iuuenalis declaratur.5. b. reprehenditur.33. b.
Iul. Capitolinus illuſtratur.15. b.
Iuppiter ab Iſide ad greßum expeditus. 25. b. Mundus vel mundi pars.26. a. eius oculus Sol. Ibid. Heliopolitanus.39. b.

K

Kneph Thebæis Deus.3. b.

L

Lanam Aegyptij oderant, & cur.11. b.
Leo ſub Orichrono.22. b. cur.23. a.
Leonis vultu Sol.32. b.
Leo cur ignem paueat.35. a.
Leontopolis.34. b.
Lectus Sphyngopes.39. b.
Loti flos magnifactus.17. a.
Lupus Solis imago Delphis.40. a.
Luna Androgyna, & Lunus Deus.13. a.
Lucianus explicatur. 1. b. 16. a.
Lycius Apollo. Lycopolis. Licoctonos.40. a.

M

Mammæ Iſidis & Telluris.17. a.
Mammoſa Ceres.17. b.

Mar-

Marcianus Capella declaratus. 18. *a. emendatus.* 20. *b.*
Malabares Boues venerantur. 19. *b.*
Melampus. 1. *b.*
Melchior Guilandinus arguitur. 7. *b.*
Mensa in Templis cui vsui. 7. *a.* 8. *a.*
Mendesius Hircus. 11. *a.* 37. *b.*
Mercurij fascinus. 10. *a. Hircus.* 11. *b.*
Meleagride aue Isidi vbi fieret. 22. *a.*
Memphis Taurus. 24. *b.*
Melilotus. 35. *a.*
Minuc. Fel. explicatur. 34. *b.*
Mneuis Bos. 24. *b.*
Moloch seu Melchons. 19 *b.*
Modius Sarapidis nota. 12. *a.* 16. *a.*
Mundus vti fictus. 25. *b.*
Mysteriorum taciturnitas. 4. *b.*

N

Natuigium Apidis. 35. *b.*
Nephtys. 22. *b.*
Netyros, Neutos. 25. *a.*
Neurospasta. 17. *a.*
Nigredo in Tabula frequens. 10. *a. b.*
Niloticorum Boum cornua qualia. 19. *a.*
Nili alluuio 40. *b.* 41. *a. Nilus Deus ibid. Nilus Osiris.* 2. *a.* 24. *b. Nili fœtus.* 35. *a. Nilus Iuppiter Aegyptius.* 41. *a. Isidis lacrymis auctus, ibid.*
Noè Arcam etiam hodie extare. 36. *a.*
Numerus septenarius sacer. 18. *a. senarius.* 20. *b.*
Numidica Isidis auis. 22. *a. quid significaret.* 22. *b.*

O

Obeliscorum notas qui veterum interpretati. 5. *a.*
Onuphis Taurus. 24. *b.*
Orus. 22. *b* 23. *a. Spurius.* 25. *b. idem qui Bacchus & Priapus, ibid. eius oculi Luna, & Sol.* 26. *a. in gemma qualis.* 26. *b. decumbens.* 39 *b.*
Osiris qui. 1. *b.* 2. *a. Isidis maritus, frater, filius.* 2. *b. cum triplici*

pene

pene ibid. eiusdem apex. 9. b. 10. b. testes. 16. a. b. etymon. 22. b. idem qui Bacchus. 11. a. b.

P

Palmæ folia in quos vsus. eadem Bais. 10. a.
Pan Mendes. 11. a. eius victima apud Athenienses. 11. b.
Penis arrectus Osiridis, & Priapi quid sibi vellet. 12. b.
Persea Isidi sacra, & quare. 35. a.
Phœnicopterus Isiaca auis. 10. b.
Phallagogia, Phallophoria. 16. b.
Pictura Linearis quorum inuentum. 7. a.
Picturæ Crypticæ vnde. ibidem.
Pierius notatus. 14. b.
Plutarchi error. 41. b.
Pluuiale. 39. b.
Principia duo vnde. 21. b.
Prophetæ Apidis mento raso. 19. b.

Q

Quintilianus illustratus. 38. b.

R

Rana Aegyptia. 24. b.
Reemphaam Caldæorum. 19. b.
Rituales Aegyptiorum Libri. 26. b.

S

Sarapis idem cum Osiride. 1. b. 2. a. Ioue, Aesculapio, Plutone. 12. a. in Gemma. 2. a.
Satyrorum & Siluanorum consecratio. 17. a.
Scriptores rerum Aegyptiacarum. 4. a.
Scarabæus. 22. a.
Scorpius cui sacer. 41. b.
Serpens accipitriformis 14. b. Isidis Aspis. 13. b. 14. a. b. Serpentium quorum cinctus, & corona. 12. a. apud quos sacra. 12. a. b.
Sistrum quale. 34. a.

Sirenes. 20. *a.*
Socrates Scholasticus notatus. 35. *a.*
Solis ad Lunam, & vice versa, relationem nemo veterum non agnouit. 20. *b. Sol Leonis vultu.* 32. *b.*
Sothis stella. 16. *a.*
Sphynx. 35. *b.*
Spicæ Isidi adtributæ. 23. *a.*
Strabo improbatus. 36. *b.*
Suetonij locus expositus. 6. *b.*

T

Tabula nostra vnde & qualis. 6. *b. vbi nunc.* 1. *a.* 6. *b. cuius opus.* 7. *a. quid contineat.* 7. *b.*
Theodoretus emendatus. 37. *b.*
Theodorus Gaza arguitur. 29. *b.*
Themis, Thermutis, Tithrambo. 22. *b.*
Thmuis. 11. *a.*
Thoth, Thoyt, Taaut. 41. *a.*
Tituli speciosi. 37. *a.*
Tripos Accipitris. 36. *b.*
Typhon. 21. *b.* 41. *b.* 42. *a.*

V

Vaticinium Trismegisti. 4. *a.*
Val. Maximus illustratus. 15. *b.*
Veneris Cypriæ initia. 16. *b.*
Vesta. 22 *b.*
Vituli aurei Ieroboan vnde. 19. *b.*
Vpupa. 15. *a.* 22. *b.*
Vulturis pennæ. 23. *a.*

FINIS INDICIS.

GLi Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X. Infraſcritti. Hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa, per relatione delli doi à ciò deputati, con giuramento cioè del Reuerendo P. Inquiſitor, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Maraueglia, che nel Libro Intitolato Vetuſtiſſimæ Tabulæ Aeneæ de Sacris Aegyptiorum Simulacris celatæ & accuratè explicatio Auctore Laurentio Pignorio da eſſi veduto & letto, non ſi troua coſa alcuna contraria alla Santa Fede Cattolica, Principi, & buoni coſtumi concedono licentia, che poſſi eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. Die 3. Septembris 1604.

D. Lorenzo Loredan
D. Antonio Lando
D. Zuſtinian Contarini
} Capi dell'Eccelſo Conſiglio di Diece.

Eccel. Cons. X. Secr.
Bonifacius Antelmi.

MENSÆ ISIACÆ EXPOSITIO.

AD CAESAREM BARONIVM CARD.

CAP I.

HORTARIS *me* MARCE VELSERE, *V. Cl. vt Tabulam illam puræ putæ antiquitatis insigne monumentum, quam* VINCENTIVS *Mantuæ* DVX, *e Petri Bembi Card. Musæo translatam iam diu domi habet, deducto quo obducitur antiquissimæ Historiæ Linteo, & in bono explicationis lumine quatenus licuerit collocatam, publice conspiciendam proponam. periculosæ plenum opus aleæ (ita cum Lyrico vate dicere liceat) tractari iubes, tractabitur tamen in tuæ spem gratiæ, quam etiam si discupere me dixero, miro tamen quo eius teneor desiderio vix fecero satis. rem igitur aggrediar optimis auspicijs tuis; eiusdem Tabulæ simulacra non* ἀναγογικῶς, *sed ad veterum narrationum fidem pro viribus expositurus. odi enim ego si quis alius nimias illas, & a proposito plerumque alienas huiusmodi rerum interpretationes, quas in confirmationem labantium Fabularum Platonici, Præceptoris dogmatum parum memores, inuexerunt: satiusque duxi ignorationem* Euseb. lib. 3. de præpar. Euang. c. 3. Lib. 2. de Repub.

A *fateri*

fateri, quam erudito Lectori fastidio esse. Vicumque res sit tuum erit Vir Cl. si quid peccatum agnoueris ignoscere primum; deinde cogitare me oneri, quod longe viribus meis impar imposuisti ferendo non esse. vt enim fileam rei propositæ difficultatem eam esse, vt per L. & amplius annos hæc siparia sibi explicari frustra peroptauerint Philologiæ amatores; torquent me profecto veterum Auctorum variæ, & distractæ sententiæ, quibus Aegyptiorum de Religione commenta ita exagitantur, vt consistere nullo modo queant. apud Herodotum Isis eadem est quæ Δη μήτης, idest Ceres Osiris idem qui Bacchus. Ideo placuit nonnullis Melampodem Amythaonis ex Aegypto in Greciam mysteria transtulisse. apud Diodorum Isis cum Luna, Cerere, & Iunone: Osiris cum Sole, Sarapide, Dionysio, Plutone, Ammone, Ioue, Pane in vnum veluti corpus rediguntur. Seruio, & Macrobio Isis, Terra, vel Natura rerum est; Osiris vero cum Adone, & Atide Sol, & hoc ex intima Aegyptiorum Theologia; legimus enim cultum fuisse apud Alexandrinos quoddam simulacrum, quod Osiridis, & Adonidis nomine venerabantur. idem apud Amathusios notauit Stephanus. immo & Byblij ambigebant vtrum quotannis rite lugerent, Osirin videlicet an Adonin. Plutarcho Osiris, Pluto, Bacchus, Sarapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius idem Significant numen: Isis, Minerua, Proserpina, Luna, Thetys nomine dissident, re non item. Appuleio Isis, Deum mater,

Lib. 2. Cedreno idem visum.

Refert Clemens in Protrept.

Lib. 1. cap. 2.

VIII. Aen. in fi.

Saturn. lib. 1. cap. 21.

Suidas in Ἀφροδίσιος.

Lucianus de Syr. Dea.

De Iside, & Osir.

Lib. 11. Metam.

ter, Minerua, Venus, Diana, Proserpina, Ceres, Iuno, Bellona, Hecate, Rhamnusia vnicus ἀείμων multiformi specie (ne ab eius verbis ab eam) nomine multijugo appellantur; vt non immerito a quibusdam Isis Μυριώνυμος *fuerit dicta. Heliodorus cum Plutarcho arcanum quidpiam prodit, Nilum Osiridem, Terram Isidem esse. Statius Titana, Phœbum, Osirin, Mithran eosdem canit. Marcianus Capella Solem, Serapin, Mithran, Ditem, Typhonem, Atyn, Ammonem, Adonin vnica nomenclatione differre asseuerauit, & alibi, Soli Lunæque diuersitatem gentium innumera vocabula sociasse affirmat.*

Plutarch. de Isid.
Lib. 9. Aethiop.
Lib. 1. Thebaid.
Lib. 2. de Nupt. Philol.
Lib. 8. de Nupt.

Hosce Scopulos, vt euaderent fuerunt qui Sarapidem, & Isidem in Gemmis ita scalpendos curarent.

Vt non ab re Capuæ legatur in antiquo marmore.

TE. TIBI
VNA. QVÆ
ES. OMNIA
DEA ISIS &c.

Præterea, quod talia inquirenti maiores tenebras offundere possit, non liquet vtrum Osiris fuerit Isidis maritus an frater vel filius. Diodorus enim, & Marcianus maritum, Plutarchus fratrem & maritum, Lactantius, & Minucius felix filium, Eusebius maritum, fratrem, & filium fuisse scribunt. quod si animaduertisset Gyraldus Lactantium appellantem Osirin Isidis filium non reprehendisset. huius controuersiæ vestigium extat in antiqua gemmæ scalptura, in qua Osiris cum triplici pene ad Pamilitia indicanda, de quibus Plutarchus; digito ad os admoto ac si Osiris, Orus, & Harpocrates ijdem essent.

Li. i. de Nupt. Phil. &c.

Lib. 1. c. 21. Lib. 3. de præ par. Eu. c. 3. Syntagm. 8.

Accedit sacrorum istiusmodi iure merito iam pridem memoriam euanuisse; tum quia Deus *Opt. Max.* Deus *Zelotes ea mirum in modum oderat; tum quia reliquis nationibus risui potius hæc, quam veneration fuerunt. Ciceronem audiamus, qui Aegyptiorum in hoc genere dementiam, Aegyptiorum imbutas mentes prauitatis erroribus Aegyptiorum superstitiones cum stomacho, & risu non semel recensuit. Iuuenalis non magis acriter, quam vere cecinit.*

Lib. 1. de Nat. Deor. Tuscul. 5.

Sat. 15.

Quis

Quis neſcit Voluſi Bithynice qualia demens
Aegyptus portenta colat ?

Quid Græci ſenſerint exponent nobis Aelianus, & Max Tyrius. ille Aegyptiorum cultum multipli ci, & vario riſu exceptum tradit : hic deteſtatur Aegyptiorum numinum λατρείαν, *quod illorum ſit* ἀγεννὲς μὲν ἢ θεραπεία, αἰσχρὰ δὲ ἢ ὕβρις. *Plutarchus ipſe, qui elegantiſſimo libello conclamatam ſuperſtitionem in vitam reuocare conatus eſt, veritatis fidiculis tortus negare non potuit totam pœne huiuſmodi ſacrorum rationem ſannis, & irriſioni obiectam fuiſſe, & ſane quis a riſu abſtinuißet ? colebant enim beſtias fere omnes, quas portentorum mater Aegyptus alebat. in his & Serpentes, & Dracunculos, quos illi Agathodæmonas vocabant. hæc ſacra (vt ipſi dicebant) animalia eo ſtudio venerabantur, vt cum admiratione dixerit Cicero firmiores apud Aegyptios opiniones eſſe de beſtijs quibuſdam quam apud Romanos de ſanctiſſimis Templis, & ſimulachris Deorum. ita prorſus, & ſine amplificatione fuit : Canem, Accipitrem, Felem, Ibin, Crocodilum & alia huiuſmodi ſi quis violaſſet capite plectebatur. cuius rei præter alia ſexcenta extat illuſtre teſtimonium Moyſis in Aegypto ſacrificare detrectantis ; quod ſi (inquit) mactauerimus ea, quæ colunt Aegyptij coram eis lapidibus nos obruent. & hoc fundamento nitebatur iuſta & legitima Ioſephi contra Apionem ratiocinatio, Orbem Terrarum*

Lib. 12. hiſt. an. cap. 5. Serm. 38.

Li. 1. de Nat. Deor.

Exo. cap. 8.

Lib. 2.

ſi

si Aegyptiorum sacra suscepisset, breui bestiarum plenum, inanem hominum futurum. conabantur quidem ipsi velamento mysteriorum insaniam obtegere, dicentes (vt ridicule Porphyrius philosophatur) diuinitatem non per hominem tantum, sed & per omnia animalia pertransiuisse.

Lib. 4 de abstin. ab esu carn.

IV. Georg. ——— Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

Digna vtique res, quam & Lucianus in Hermotimo rideat, & alibi non semel insectetur. vt hinc sequi videatur

Iuuenalis. Porrum & cœpe nefas violare & frangere morsu.

Ita vt exclamare libeat.

O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Lucian. de sacrif. & alij. Idem de Astrol. *Fabulabantur præterea Deos in animalia mutatos metu, & vi cogente Typhone quibus adijcias licet (vt Vara Vibiam sequitur) insigne commentum, cultos videlicet Arietem, Pisces, Hircum. Apin quod huiusmodi signa in Cœlo primi Aegyptij, obseruaßent. ad hæc alenda sumptus vniuersi suppeditabant exceptis Thebaidos incolis, qui nullum* Plutarchus. *mortalem Deum eße censebant, sed Eneph, seu* Theodoret. serm. 3. *Kneph Deum immortalem venerabantur, hæc festis diebus, Fanis, sacrarum epularum appositione, Sacrificijs, & sepulchrorum molibus dignati sunt*

vt

vt Theodoretus præter alios teſtatus eſt, huc autem pertinet quod Herodotus notat Aegyptios cum feris veſci contra omnium mortalium inſtitutum. faceſſit negotium poſtremo periiſſe magnam illam ſcriptorum turbam, quibus hæc poſteritati tradere curæ fuit, quorum nomina hic vt e naufragio tabulas, colligere operæ precium duxi. agmen in primis mihi aget Hecatæus Abderita, mox Ptolemeus & Aſclepiades ambo Mendeſij, Eudoxus, Ariſtagoras, Manethon, Hermeus, Cheremon ille Stoicus, Appion Polyhiſtor, Philarcus, Leo Aegyptius, Demetrius, Lynceas ſiue Lynceus Naucratites, Hellanicus & Ammianus Marcellinus in geſtis Hadriani, & Seueri Principum, quæ magno hiſtoriæ malo perierunt. his fortaſſe annumerandi Andron Alexandrinus, Apollonius, & Iſter; alijque quos ocioſus lector facile adnotabit. horum omnium alicubi latentia fragmenta ad nos euaſerunt, quæ nocti huic noſtræ illuni, & nubilæ creperi neſcio quid luminis attulerunt. vere enim in Aſclepio vaticinatus eſt Mercurius ille Triſmegiſtus, o Aegypte Aegypte religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, eæque incredibiles poſteris tuis. atqui dicet aliquis integri quidam è ſcriptoribus ad nos vſque peruenerunt fateor id quidem, & ingenti Dei beneficio accidiſſe credo, vt præ oculis homines haberent in quas tenebras inciderint illi diuinarum rerum illuſtri ſplendore deſtituti verum plerique horum auctorum ea ſuperſtitione, quæ tunc animos hominum imbuerat impediti, Lib. 2.

Plutarchus: Suetonius Auguſto. Suidas Heraiſco. Euſ. de præp. Eu. lib. 10. c. 3. Diog. Laert. in Prohem. Ioſeph. lib. 1. cont. Apion. Theodoret. ſerm. 3. Gell. lib. 5. cap. 14. Tertull. de coro. Mil. Athenę. lib. 15 & 13. & alij cõplures.

Cap. IX.

myſteria

mysteria silentio involuunt; inter quos Herodotus; Diodorus, Heliodorus, Pausanias, & Appuleius. mystis namque peculiaris indicta fuit taciturnitas, quam si quis soluisset improbus intestabilisque censeretur. Horatius.

Lib. 3. Car.

—— vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat Faselum.

Huius silentij ea causa erat, quod hæc vel turpia vel crudelia essent, qualia Eleusinia, Pessinuntia, Adonia, Isiaca, Bacchanalia, Ityphallica, Omophagia, & Mithriaca fuerunt, quæ exagitare consueuerunt Ecclesiæ Christianæ indefessi Prædicatores Iustinus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, & alij, a quibus pete mi lector si tenebras illas cum magno fructu pietatis, & eruditionis discutere lubet, hasce instituti mei remoras consulto recensui ea mente, vt siquid πολυνιστορίας *studiosi per me profecerint Deo Opt. Max. acceptum ferant: si vero, quod procliuius est, longe secus acciderit, voluisse me tamen constet rei obscuræ, & pene dixerim desperatæ lucem & medicinam orationis afferre, qui conatus, nisi me* φιλαυτία *fallit, laudem aliquam apud posteros saltem promerebitur.*

CAP. II.

Fuerunt qui hanc Tabulam inexplicabilem esse Appuleij auctoritate firmare conarentur. sed fefellit

lit eos Appuleius, qui ita ſcribit, de opertis adyti profert quoſdam libros litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris cuiuſcemodi animalium concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capre olatimque condenſis apicibus a curioſitate profanorum lectione munita. non erit opinor qui hæc verba ad aliud, quam ad litteras trahat, cuiuſmodi in Tabula ipſa, & alibi plurimas videmus; quæ tamen tunc temporis doctis ignorabiles non fuerunt, ſed a curioſitate tantum profanorum hominum egregiæ munitæ, alioquin qui potuiſſet impoſtor ille Appuleium monere, vt pararet, quæ forent ad vſum Teletæ neceſſario præparanda? vt miſſos faciamus Strabonem, Plinium, & Ammianum obeliſcorum quorundam Notas interpretantes; quos tamen omnes Goropius ſuggillat, ſed quam recte ipſe viderit. in hiſce litteris explicandis, quas modo in Tabula expreſſas monui, operam perdere nolui: in eo Agro, quem ego primus (ni fallor) ſatis proſcidi, meſſem alijs relicturus. acute namque monuerunt Pæni Agricolam allidi cum valentiore, quam ipſe ſit Agro colluctantem. erit forſan aliquis, cui & maius otium, & ſtudium acrius & doctrina ſubtilior ſuppetant, qui hoſce griphos interpretetur. mihi neque Notas (paucis exceptis) agnoſcere, neque ſenſus abditos expromere datum fuit. potuiſſem quidem ex ingenio multo cum labore, pauco cum fructu aliquid comminiſci: ſed quis poſtea recepiſſet illum, qui notas duxerat ita ſenſiſſe?

Lib. 11. Metam Ignorabiles vocat, & Ammian. lib. 22.

Lib. 17. Lib. 26. c. 8. & 9. Lib. 17.

at Horapollo, dicet aliquis libello peculiari, Clemens Alexãdrinus & alij præiuerunt. vtatur per me qui volet: sentiet enim, quod & vidit magnus vir A.

Dial. 4. de nu mmin. AVGVSTINVS, *non magis eos huic rei quam tractamus conducere, quam versus aliquot Plauti ad vetustam Pœnorum linguam expediendam. vtque in semitam redeamus notandum est Aegyptiacam superstitionem exagitatam licet, & sapientum contumelijs vexatam per Orbem fere vniuersum diffusam*

Lib. 1. cap 2. *fuisse. adeo vt vere scripserit Diodorus vbique fere terrarum Isidem cultam, idque propter manifestas eius morborũ curationes (tales miseris offucias obtrudebat Diabolus) cui testimonio adiungimus nummũ æreum Claudij Imperatoris in quo Isis cum Sistro, & Situla inscribitur* SALVS AVG. *ad hæc nauigantium*

Sat. 12. vbi Vet. interp. Tibull. lib. 1. el 2. Lucian. in Dial Noti & zephyri. Pausanias, Aristides. Plutarchus. Herodotus lib 4. Cornel. tac. de mor. Germ. Smet. Inscr. Antiq. Lib. 2. adu. Gent. Apologet. cap. 6. Dio lib. 40. 42. 47. 54. *tutela credebatur, ventorumque Domina. Iuuenalis de votiuis Tabellis.*

—— Pictores quis nescit ab Iside pasci?

Colebatur in Græcia passim, in Asia Smyrna, in Phœnicia Bybli, in Libya Cyrenis, in Germania apud Sueuos, in Lusitania apud Bracar Augustanos. Romæ profecto diu iactata sacra manserunt tamen. Anno siquidem Vrbis DCXCVI. Piso & Gabinius Coss ex Vrbe eiecerunt, vt narrant Arnobius, & Tertullianus. Anno DCC. fana Isidis, & Serapidis ex S. C. solo æquata sunt. post septem annos Aruspices omnia eorundem Templa demoliti sunt. quinquenio transacto irrepserã hæ sordes in purgamentorum huiusmodi sentinam

nisi

niſi M. Agrippa Aedilis anno DCCXXXII. extra pomœrium receptas eliminaſſet: vetuiſſetque in Vrbe, & Suburbano intra D. paſſus conſiſtere. expulit poſtremo Senatus Tiberio imperante: exinde tamen tanquam ruptis obicibus in vrbem ſuperſtitionum Aſylum nefaria hæc ſacra agmine facto irruperunt. ita vt non ſolum de plebe homines, ſed & Imperatores veluti Commodus, & Caracalla, & Alexander Seuerus manus dederint. hinc apud Rufum, & Victorem Vrbis æternæ Topographos Area Iſidis Aelianæ, Ara Templa, & Aediculæ eiuſdem: Iſis patritia, Vicus Iſidis, Iſæum, Iſis Athenodora, Aedes Iſidis. apud recentiores Iſæũ Metellianum, Templum Iſidis & Serapidis prope Ouile, cuius videntur meminiſſe Iuuenalis, & Appuleius nomine Iſidis Campenſis. hinc Plinij querela Harpocratem, ſtatuaſque Aegyptiorum numinum in digitis Viros quoque portare incipere. laborauit enim ſemper cultus hic infamia quadam peculiari, cuius teſtis erit Auguſtus, qui Apin, adorare noluit, quod ſe Deos non Boues adorare diceret. ideoque notat Seruius in fine octaui Aen. ad illud.

Tacit. lib. 2. Annal.

Aelij Lamprid. & Spartianus.

Panuin. in Vrbe.

Sat. 6. 11. Met. lib. 33. cap. 3

Dio lib. 51.

Omnigenumque Deum Monſtra ——

Hæc ſacra ſub Auguſto nondum Romæ recepta fuiſſe. lenocinia, & mollities præter cetera obiectabantur, vt de Paullina illuſtri fœmina legimus, quam perditus amator obtentu religionis polluit. quod & actitatum innuit Iuuenalis.

Ioſeph. lib. 11. Antiq. cap. 47.

Sat. 6.

——— iamque expectatur in hortis
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Cap. 12. *Et Suetonius Othone, inter alia mollitiei, & effœminati animi signa illud refert, in Lintea religio saque veste sacra Isidis propalam celebrasse. verum non deerant mulierculæ superstitionibus indulgentes, & viri cupidi rerum nouarum, qui vt ait*
In Octauio. *Minucius Felix non magis Isidem, quam ceparum acrimonias; nec Sarapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos extremiscerent. hinc religioni ridendæ accessit fauor. hinc Templa, signa Donaria, Gemmæ cælatæ, lapides inscripti. nec aliunde Tabula hæc nostra, quam præ manibus habemus. ea Romæ incidit in manus magni Viri* PETRI BEMBI *Cardinalis, seu ex* PAVLI III. *Pontif. Max. munere, seu quod alijs placet ex Orci faucibus, e manibus videlicet Fabri ferrarij, qui illam in Borbonana Vrbis direptione comparauerat, precio extorta. nunc in preciosa Pinacotheca Serenissimi* DVCIS MANTVÆ *inter illustrium Pictorum monumenta adseruatur. ærea tota est, eiusdem latitudinis cum impresso typo, quam* AENEAS VICVS *industrius ille sculptor viriculo ita assecutus est, vt non tam simile ouum ouo sit. archetypa nigro veluti encausto, quod atramento scalptor expressit, & tenuibus argenti bracteis passim obducitur, & superuestitur, quas inspectori ob oculos ponere mihi consilium non fuit, ne in re non admodum facili tempus tereremus. quid enim Lectorem iuuet si*

dixe-

dixerimus nigras illas ſoliorum teſſeruias argenteis in terſtinctas eſſe? & patorem illum inter bubula cornua in media regione, in quo teſtes Oſiridis ceſtro cælator delinearit, argenteum eſſe cum multa adhuc ſuperſint eius generis monenda. artificem Tabulæ non valde doctum ſapit Aegyptium videlicet, factumve ad Aegyptiorum normam, quorum ſtudium in id magis incumbebat, vt picturas miras exprimerent, quam vt venuſtatem affectarent. gracilitatem corporum excuſauit Pierius ea ratione, quod Lib. 49.
innuere vellent DEI naturam ſpiritu non corpore conſtare. vt cumque ſit ex his imperitis delineationibus non male quorundam ſententia apud Plinium lib.35. cap.3
confirmatur, linearem Picturam Philoclis Aegyptij inuentum eſſe: cum hiſce conuenire videatur, quod de infantia Picturæ narrat Aelianus, adeo li.10.de var. hiſt.
indocte Pictores tunc temporis penicillum tractaſſe, vt adſcribere nomina rerum neceſſe haberent. digna res vtique, quã & Thebani pecunia mulctarent. & Aelian. lib. 4. var.hiſtor.
hinc primum manaſſe cenſeo ego Picturas illas, quas Vitruuius tantopere exagitat, quaſque noſtri Lib.7 cap.5.
in Cryptis Romæ inuentas GROTTESCHE *appellarunt, & auide arripuerunt. fuit autem Tabula hæc, niſi mea me fallit ſententia, ſacra Romæ Templi alicuius Menſa, quæ ex Macrobio, & Feſto* Li.4. Saturn. cap.11. Feſt. Menſæ.
Aræ, & Puluinaris loco erat, in qua epulæ, ſtipes, & libationes reponebantur, & Sacella præterea Deorum. fuerunt hæ Menſæ quandoque aureæ, vel argenteæ; & quidem inſcriptæ apud Græcos, vt notant Dio lib.39. Val.max.lib. 1 cap.2. Cic. lib.3.de Nat. Deor. Ariſt. lib 2. de re fam.

tant Aristoteles, & Val. Maximus. sollemnes
De Haruſp. resp. Festus Acieris. Mensas appellat Cicero. ærea est hæc nostra ideo forsan quod æris vsus in sacris maxime probaretur. cultros enim. secespitas, secures, & pateras æreas pleraſque nos vidimus. & quod magis placet, Plinij
lib. 34. cap. 3 testimonio priſci limina ac valuas in Templis ex ære factitauerunt. qua fortaſse de cauſa Camillo Sp. Carulius Quæstor crimini obiecit, quod ærata ostia haberet in domo. Cortinæ insuper, Lychnuchi pensiles, & signa Deorum in Templis ex ære omnia conſpiciebantur. continet vero sacra hæc Mensa Isidis præcipue mysteria, cui in Auctarij vicem adiun
Hieregl. Lib. 7. cti sunt Osiris, Orus, Anubis. Goropius nimis reconditas Origines sectatus hæc improbare videtur: at res ipsa loquitur. ideo autem Isis in prælto Solio Mensæ vmbilicum, occupat, ipsa enim vt videtur innuere Diodorus magis quam Osiris culta est.
Lib. 1. & hinc factum videtur, vt Isidi prius, quam Osiridi initiaretur Appuleius. & fidem facit sacratorum vniuersalis denominatio, quos Isiacos passim appellatos reperias. vt sileamus Isidis simulachra frequentius, quam Osiridis promi solita, & magis conPlutarchus. ſpicua fuisse. at Melchior Guilandinus (vt tu me
In Comentar. de Papyro. per epistolam olim peramanter monuisti MARCE VELSERE) censebat hanc tabulam vix aliud, quam Aegyptiorum leges pandere. huius sententiæ id columen fuit, quod Leges in æs inciderentur. Ego ad eruditum Lectorem prouoco, qui religiose iudicabit an quicquid in æreas Tabulas inciſum est id con

tinuo

tinuo Lex ſit, me vt vt alij ſentiant ne nunc quidē pœnitet eius, quam adduxi interpretationis. menſam enim Deorum in ædibus ſacris agnouit & Varro. & Delphica illa apud Plinium, Mineruæ anathema æris antiqui huc pertinere videtur.

Li. 4. de L L. Plin. lib. 7. cap. 15.

CAP. III.

Placuit mihi ſemper aureum illud, & probum dictum.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.

Gloriari enim alienis bonis perinde eſſe duxi, ac ſe nullius precij hominem fateri. apage Polypi furax, & ſubdolum ingenium, qui non niſi quando aliena non ſuppetunt proprijs flagellis veſci ſolet. me mea Paupertas, & nunc, & in poſterum alet, & quid quid è ſcrinijs meis in lucem conſpectumque hominum prodibit, id e penu meo; non ex aliorum compilatis cellarijs prodibit. ſiquid amicorum liberalitas adiecerit (vt factum gaudeo) illaudatum minime relinquam; verbis ſaltem, quando re non licet; magnis eorum in me meritis ſatisfacturus. egregie enim profecto magnus ſcriptor teſtatus eſt, obnoxij animi, & infelicis ingenij eſſe deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, ex quo capite quis non oderit in eptas illas Grammatici hominis voces, iactantis litteras ſecum natas, ſecum interituras? Ego quidem omnibus his, qui me iuuerunt infinitas habeo

Plinius i præfat. hiſtor. natural.

Sueton. de illuſtr. Gram. in Remm. Palæm.

habeo gratias, quod reconditas, & magno ſumptu quæſitas copias liberali manu obtulerunt, vnde nos vti e fontibus aquam haurientes, & ad proprium hoc herediolum traducentes, feraciores, & expeditiores habuimus ad diſſerendum facultates, tibi primum MARCE VELSERE *Clariſſime vir, & inter precipua ſeculi ornamenta numerande, qui languentẽ ſæpe numero commouiſti, iacentem excitaſti, & auctoritate qua plurimum apud me potes peruiciſti tandem, vt manum de Tabula aliquando tollerem.* NICOLAO *dein* FABRICIO *Chalasij Domino, natalium ſplendore, & recondita eruditione illuſtri adoleſcenti, qui non modo inſignes, Antiquitatis reliquias, quibus inſtructiſſimus eſt, in meum, & ſtudioſorum vſum munifice contulit, ſed etiam aliorum Muſæe vt paterent ſedulo curauit. eius diligentia factum eſt, vt non modo Venetijs* FRID. CONTARENI D. MARCI PROC. & IOHANNIS MOCENICI *Illuſtriſſimorum Virorum præclariſſima, nummorum, & gemmarum* πειμήλια *mihi in promptu eſſent ſed & Romæ ornatiſſimi viri* LAELII PASCHALINI πέρας ἀμαλθείας, *cur enim hoc nomine non appellem bonæ copiæ diuitem theſaurum, de quo nobis Numiſmata, Gemmæ, Sigilla rara omnia, inſigni humanitate ſuppeditata ſunt? eidem* FABRICIO *acceptum ferri debet omne id quod e* NATALITII BENEDICTI *precioſis loculis euulgamus. e quibus Auctario noſtro cum robore, & incremento ſpiritus acceſſit. ea enim omnia, quæ ad illuſtrandam*

Epiphanij,

Epiphanij, Irenei, & aliorum Patrum historiam Sectarios antiquos exagitantem attulimus, inde profecta sunt. His omnibus in solidum si non pares at pro meo tamen studio debitas gratias, meritasque habebo semper, referamque pro viribus: bona Lectorum saltem nomina delegando, qui scientes per quos profecerint, id æs quod ego soluendo non sum bona fide persoluant. Ingenua hæc & liberalis debiti confessio Viris optimis, qui res magis quam speciosa verba spectare consueuerunt, abunde faciet satis.

His explicatis ad Tabulam accedamus, quam in tria segmenta, & limbum ambientem partiemur. sectionem primam inchoat Osiris, in quo notanda videtur ansata Crux, & digitis apprehensa. cuius Crucis vsum cum Goropius acute peruidisset, euertere frustra conatus est vir doctissimus in suis Libris de Cruce. & hunc salutaris signi typum non in obeliscis tantum, sed & alibi vt in antiquo lapide apud Cl. Virum IOH. VINC. PINELLVM *exculptum vidimus. fuit autem is ferrei coloris, & crassitudinis digitalis, quam tenuis candida linea ambiebat. huius ectypon ad amussim expressum alias etiam profuturum hic damus.*

Lipſ. lib. 1. cap. 8. in Notis.

Lib. 9 hist. cap.

Cæterum hæc illustrantur ea, quæ apud Socratem est narratione. cum enim (inquit ille) Sarapidis Templum spoliaretur, & in sacris, vti vocabant, litteris, Crucis figura inuenta esset, ea res in disceptationem venit. Christiani enim, quibus Notarum periti adstipulabantur, Crucem CHRISTO *adiudicabant: Ethnici vero commune quidpiam* CHRISTO *cum Sarapide esse impie contendebant. tutatus est causam suã* DEVS: *plurimi eorũ, quos diabolus deceperat* CHRISTO *nomen dedere, & Trophæum Passionis, Crux triumphalis notatis frontibus refulsit exinde. Sequitur itẽ Osiris bisulcum animal quoddam veluti conficiens, caprini fortasse generis, capras enim fœminas tradit*

Lib. 10. hist. an. cap. 24.

Aelianus Copti Isidi in delicijs esse; mares autem immolari. Apex ille, seu Tutulus Osiridis capiti impositus accedit non nihil ad eam Teletarum coronam, cuius meminit Appuleius in hac verba, at

XI. Met.

manu

manu dextra gerebam flammis adultam facem, & caput decore corona cinxerat Palmæ candidæ foliis in modū radiorum prosistentibus. consueuerunt enim & hodie Palmæ folia ita plicari, vt calathos, flabella, & alia huiusmodi vtensilia palmea non semel videamus. Et olim apud Aegyptios monachos plectæ, seu habenæ ad canistra conficienda, Psiathiaque seu tegetes ex eadem parabantur. vsu (ni fallor) inuecto ab antiquissimis eiusdem regionis Sacerdotibus, qui vt Cheremon refert, cubilibus ex Palmarum virgultis intextis vtebantur. Palmas ipsi voce vernacula BAIS appellabant, quæ vox Horapollini animam significat. soleas præterea ex huius arboris foliis perfectas Isidi tribuit Appuleius: vt ex his omnibus detur intelligi sacram arborem fuisse, & mysticis rationibus insignem. Isidem proxime referri censeo ego, cuius vestimentum iampridem expressit Madaurensis scriptor his verbis, quæ semel retulisse sufficiet. Sed Antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale aduſque vestigia strictim iniecti, &c. niger autem ille Galerus tenuibus argenti notis exornatus ad eas Isidis vestes referri potest, quas multicolores notauit Plutarchus, ob lucis tenebrarum diei noctis, vitæ Mortisque discrimina, quæ omnia Isidem moderari testatur. Et quidem in Tabula vniuersa nigror hic maxime cōspicitur argento fere semper discretus. qua mente Appuleius eidem pertextam discolorem, & pallam nigerrimam adsignauit. post Isi-

Ioh. Cassia. coll. 18. c. 15. & Ciaccon in Notis. Apud Porphyr. lib. 4. de abstin.

Li. 1. c. 7.

dem Osiris perpetua fere serie spectatur, cuius Apicem (seu Metam mauis) pinnæ duæ Accipitris forte vel Ibidis conficiunt: adiecta plana illa rotunditate, & fulcris dextra, læuaque insurgentium viperarum. Paulo diuersum spectamus in Sarda apud NIC. FABRICIVM *cuius hic Protypon habes:*

Cæterum Iconem hanc præ oculis videtur habuisse Heliodorus lib. 6. Αιθιοπικ. ιστορ. *scribens* καὶ νυνὶ δὲ θέα, ὄρνιν τινὰ τοῦτον ἐς ὁρᾶς νείλῳον φοινικόπτερον, τῆς φιλτάτης ἐπίταγμα κομίζων. *Ex quo præter cætera discimus Phœnicopterum Isidi in delicijs fuisse. neque officit alarum nigredo religionis gratia (vt ego censeo) nullibi non affectata. Goropius tamen Stymphalidem auē esse censet, quam Hercules ostentet: recte ne an secus aliorum esto arbitrium. Phœnicopteri meminerunt Plinius, Martialis, Iuuenalis.*

Lib. 5. Hierogl.

Lib 10. c. 48. in Xenijs Sat. 11.

Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens.

Ad Iuuenalem porro notat antiquus interpres; auem esse, quæ habeat pinnas colore Phœnicio, & rostrum incuruum & prolixum: in aquis degere, in Africa abundare. hasce omnes insigniores notas referebat Phœnicopteri ad viuum expressum exemplar,

quod

quod vir magnus VLYSSES ALDROVANDVS *ad* FABRICIVM *transmisit. gerit autem Osiris hastam sibi cum Libero Patre communem, de qua ita Macrobius, colitur etiam apud Lacedæmonios simulachrum Liberi Patris hasta insigne non Thirso. sed cum thyrsum tenet, quid aliud quam latens telum geritur, cuius mucro hedera lambente protegitur? at Osirin Bacchum esse & paulo infra ostendemus, & ante nos probauit Plutarchus in de Iside, & Osiride. qua ratione Antonius apud Dionem* Θεὸς νέος Διόνυσος *appellabatur. quod nec Ausonium latuit canentem de signo Liberi Patris.* Lib. 1. Satur. cap. 19. Lib. 50. In Myobarbo.

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Aegyptus putat.

Hunc ab Iside discriminat Cercopithecus ille sacer, cuius præter Iuuenalem meminere Lucianus in Concione Deorum, Prudentius in Romano martyre, & aduersus Symmachum. Sat. 15. Legendus præter ea Socrates hist. trip. lib. 9. c. 27.

Isis enim & Serapis & grandi Simia cauda, &c.

Ornatur autem Isiacis symbolis, Lunaribus cornibus, orbe patulo, & aspide. Stat supra Thmuis, hircus videlicet Mendesius Pani sacer, quem Aegyptij Mendeten vocabant. testatur insuper Lucianus Pana apud Aegyptios colι ὁλον τράγον. cuius mysterij ea videtur afferri posse ratio, quod Panis natalia insignire vellent. Pan etenim Penelopes filius dicitur quam Mercurius (vt est in fabulis) sub hirci imagine compressit. ita Herodotus, Iun. Phylargyrus, Probus, Non. ad 11. sect. Greg. Naz. in Iulian. Herodotus lib. 2. De sacrificijs. lib. 2. virgil. Ecl. 2. Ecl. 4. serm. 7.

Probus, & Theodoretus, vt hinc natum appareat id quod Antiquitas existimauit hircum in Mercurij tutela fuisse, vt in antiqua gemma.

Lucianus in bisaccusato.

Genes. c. 46.

Appul. in Apolog. Herodotus Coge Aegyptiũ vt ouium fa cte vescatur.

Hieron li. 2. cont. Iouinian.

Apud Theodoret. ser. 3.

Ideoque Pani τράγου ἄνοχιν Athenienses mactabant. notandum vero est, apud Mendesios honorem Caprarijs habitum, cum tamen Aegyptij Pastores ouium detestarẽtur. Oderant quippe lanam etiã, veluti segnissimi corporis excrementum, quã vestitu Sacerdotum, & cadauerum humatione penitus ablegarant. at quid cognationis Pani cum Isidе? Antiqui Theologi, quos Mythologos rectius appellaueris, inter quos Manethon, & Diodorus Isidem nihil aliud esse quam Lunam interpretati sunt; quam pulchellus amator montiuagus Pan lanæ vellere (si Poetis credimus) in sui amorem pellexit sed in gratiam Aegyptiorum, qui fabellas huiusmodi asspernabantur, magis est vt dicamus Pana in comitatu Osiridis fuisse, vt prodit Diodorus. & quidem is Διονύσου στρατηγὸς *fuit ex Polieno, a quo Panici terrores & cornutæ acies. at Dionysium eundem cum Osiride fuisse facile probabitur; Herodotus enim scribit Osirin Bacchum esse ex Aegyptiorum sententia. præterea vtrique mystica Vitis, vtrique Hedera ab antiquis tribuitur: vterque Nisæ altus, vtriusque*

Diodorus loco cit.

lib. 1. Strategem.

Diodorus. Tibulus li. 1. eccl. 7. Plutarchus.

comi-

comites Chorus & Cantus, Satyri & Panes. Serpens ipsa, sine qua Osiridem in Tabula nusquam videas, fuit Bacchi cinctus, & Baßaridum corona. nisi dicere lubeat cum Diodoro Pana, & Osiridem eundem Deum esse. Cercopitheco adstat Isis Nebride induta in Baßaridum morem, præfert Modium Sarapidis insigne vt ex antiquis nummis, & Eusebio elicitur. Sarapin vero ΔΙΑ Græci, Latini Iouem nuncupant, inquit Achilles Statius. imo Aesculapium multi, quidam Osirin, plerique Iouem plurimi Diuem Patrem fuisse coniectant. iam vero quia Isis vel Terra est (inquit Macrobius) vel natura rerum subiacens soli ideo Isidi Modium veluti frugum parenti adsignarunt. scribit enim Diodorus in Isidis pompa alicubi triticum, & Hordeum præferri, vt ab ipsa repertas fruges testarentur. & hic factum est vt a quibusdam dictum sit Cererem nihil aliud esse, quam Isin. quo sensu Cererem Fariam dixit in Apologetico Tertullianus, vt recte monuit interiorum litterarum decus I. Lipsius. Osiridis subsequentis caput ornat sacra Serpens in Tabula ita frequens, vt in mentem veniat mirari hominum stoliditatem, qui a DEO Opt. Max. ita aberrarent, vt sordidum hoc animal venerarentur. neque vero Aegyptij tantum huic dementiæ affines. Indi enim, Phœnices, Arabes, Babylonij, Pœni, Bœotij, Epirotæ, Sicyonij, Epidaurij, Romani, e nostris hæretici quidam, & noui Orbis incolæ huic insaniæ manus dedere. tanto

Clemens in Protr. Athenę lib. 5. in descript. Pŏpę Ptolem. Philad.

lib. 2. histor. eccl.

lib. 5.

Cornel. tac. extremo, li 4. hist.

lib. 1.

lib. 1. de Cruce c. 5. Max. Tyr. ser. 38 Taautus apud Euseb. Pausanias Bęotic. Daniel c. 14. Sil. Ital. li. 6. Stat. Theb. lib. 5. Aelia. lib. 11 hist. anim c. 2. Pausan. Corinth. Val. Max. lib. 1. ca. 9. Ouid. 15. Met. Rabanꝰ Maur. deinstit Cleric. lib. 2. Ludouicus Bathema in Itiner.

studio

studio Diabolus triumphati hominis symbolum, vt assereret laborauit: credo vt eam iacturam resarciret, quam olim fecerat cum serpentem DEVS inter omnia animantia, & bestias terræ maledictum esse iusserat, nec defuerunt qui serpentis diuinitatem litterarum monumentis consignarent, veluti Taautus ex Phœnicum placitis, & agmina Poetarum, quorum licentia in hoc (vt cum Poeta dicam) exijt in immensum. Osiridis femoralia in conum desinentia subindicant latere ibi, vt ego quidem sentio, arrectum penem, qualem Osiridi tribuit Plutarchus, qua specie Romæ quoque Priapum expressum videmus eo nimirum consilio, vt significaretur occultam, & latentem esse in Natura gignendi vim imo quod miretur quispiam in Benauidiorum Musæo apud nos extat muliebre marmoreum signum antiqui operis, sub cuius tunica nescio quid eiusdem argumenti videtur latitare.

Apud Euse. Lib. 1. de præp. Ca. 6. vlt.

Ad quam regulam directum videtur Aegyptiorum dogma : Lunæ videlicet naturam permixtam, & androgynam tribuentium, quo eius vim genitabilem aſsequerentur. a quo fonte manauit Carrenorum ſuperſtitio, qui Spartiani teſtimonio Lunum Deum venerabantur. vnde quamuis Græci (inquit ille) vel Aegyptij eo genere quo feminam hominem etiam Lunam Deum dicant, myſtice tamen Deum dicunt. ad quæ intelligenda plurimum conferent Ser-

Plutarch. de Iſid. & Oſir.

in Caracalla. Vide & Ammia. lib. 23.

In 11. Aen. lib. 3. Satur. cap. 8. *uius, & Macrobius. At Serpentem Isidis capiti impositam quo nomine appellabimus? Iohannes Leo Afer, qui Aegyptum hominibus etiam ociosis calamo peruiam fecit, narrat apud montem, cui Atlanti nomen est, reptare tarde Dracones quosdam aluo crassissima, cauda capiteque exilibus. aluum hic agnosco, cetera non item. ego Aspida fœminam esse censeo, cuius aluum tumidiorem esse testatur Solinus; interpolatam tamen, & ornatu quodam sacro Mystarum opera suffarcinatam vt pleraque omnia in hac Mensa. Aspides in diadematibus pictas Aegyptij Reges circumferrebant. earum nomen apud Aegyptios, qui sacras esse censebant, Thermutis fuit. his coronabant Isidis simulachra, eamque in scelera-*

Cap. 30.

Aelian. li. 6. de hist. an. cap. 37.

lib. 10. c. 32.

lib. 17 c. 5.

tos Aspidem immittere fabulabantur. cum ijsdem eam familiaritatem contraxerant, vt cum infantibus educarent, & conuiuio adhiberent. felices & diuinos reputabant, quos illæ momordissent. huc referre possumus Ouidij carmen de Isidis comitatu loquentis.

Ioseph. li. 2. cõtra Apiõ.

li. 9. Metam.

Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Falluntur enim qui de Crocodilo dictum interpretantur. somniferis venenis plenam rite appellauit

lib. 9.

vt & Lucanus.

Aspida somniferam tumida ceruice leuauit.

Quia miles apud eundem Aspide ictus.

—— subita caligine mortem

Acci-

Accipit, & Stygias ſomno deſcendit ad vmbras.

Peregrinam interpretari poſſumus Niliacam. Lucanus de eadem.

——— Niloque tenus metitur harenas

&

At tibi Lęue miſer fixus præcordia preſſit
Niliaca ſerpente cruor ———

Ammianus Marcellinus, ſerpentes quoque Aegyptus alit innumeras vltra omnem perniciem ſæuientes, Baſiliſcos & Amphisbænas & Scytalas & Acontias, Dipſadas & Viperas aliaſque complures, quas omnes magnitudine & decore Aſpis facile ſupereminens, nunquam ſponte ſua fluenta egreditur Nili. Pigram vocauit Ouidius. lib. 22.

lib. 2. Amor.

Pigraque labatur circum donaria ſerpens.

Et prope ſimulachrum Iſidis argenteam ſtatui conſueuiſſe docet Iuuenalis.

Sat 6.

Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

Accedit Appuleius, qui in pompa Iſidis Aſpidem recenſet ſquameæ cerulcis ſtriato tumore ſublimem. Val. denique Flaccus ne vllus hæſitationi locus relinquatur de Iſide canit.

lib. 11. Met.

lib. 4. Arg.

——— Et procul Io.

Spectat ab arce Poli iam Diuis addita, iamque

Aſpide cincta comas, & ouanti perſona Siſtro.

Addatur corollarij vice, quod inſaniam redoleat,

Epiph. lib. 1. adu. hęr. *in quaternos Templorum Angulos fuiße in more positum, vt aspides fictilibus conclusæ inijcerentur. neque omnino male Serpenti huic nostræ Accipitris caput impositum fuit. Epies enim* μέγιστος ἱεροφάντος καὶ ἱερεγραμματοὺς *ita scribit* τὸ πρῶτον ὂν θειότατον ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφὴν. *imo Aegyptij mundum describentes inter cetera* ὄφιν ἱερακόμορφον *appingebant. Isis adhæc manu prætendit Absinthium marinum, Seriphiumve, quod & Plinius & Dioscorides ab Isiacis præferri consueuiße testantur. nascitur id in Taph Osiri Aegypti ideo non mirum si Isis præferat in mariti memoriam. ita conijcio ego præiudicio non obfuturus siquis meliora in medium attulerit.*

Apud Euſ. lib. 1. de pp. Eu. cap. vlt. Euſeb. loco cit.

lib. 27. ca. 7. lib. 3. c. 25.

In Osiridis Icone subsequente id vnũ animaduersione dignũ videtur sacrũ sceptrũ Cucuphæ auis capite ornatum, cui aui ob pietatem in parentes id honoris Aegyptij habuerunt. hanc primus, quod ego sciam, Cælius Calcagninus, qui Horapollinem latinum fecit & commentario illustrauit, Ciconiam interpretatus est. non recte ni fallor; obstat enim & figura & vox. PIERIVS *Cicumam appellat e Ciconiarum vt ipse inquit genere; quod omnino mirum visum est cum cicuma Festo, & Isidoro Noctua sit. apud eundem Regium Sceptrum delineatum est, quod ipse contra rei præsentis, atque ante oculos propositæ fidem, refert extare in ahenea BEMBI Tabula. non videtur autem in hoc peccaße Vir doctissimus, qui Tabulam non semel viderat: sed Pictores potius, ad quorum notitiam ea non peruenerat*

Horapollo lib. 1. Epiſto licar. quæſt. lib. 2. cp. 1.

lib. 16. Hierogl.

rat. Cucupham ego Vpupam interpretor, quam & figura & Plinius exprimunt; crista nimirum visendam plicatili, quam contrahit, subrigitque per longitudinem capitis: accedit Aelianus, qui Vpupas censeri scribit apud Aegyptios, quod in parentes piæ sint. & alibi tradit idem scriptor Vpupam Indorum Regi eadem ratione in delicijs esse: ibidemque recitat fabellam Brachmanibus familiarem, quæ pietatem in parentes commẽdet. vox postremo κουκούφα ab Vpupa non abit, quæ videtur irrepsisse in egregium Auctorem manus violentas non semel passum, quem concisum esse, & mutilum cum liqueat, nemo sanus integrum præstare audebit. & sane videtur vox latinogræca ne barbaram dicamus, quales vsus, & mala illuuies infelicium sæculorum inuexit. Suidas enim, quo vno niti videntur Ciconiæ adsertores huc non respexit. GOROPIVS *Alaudam, seu Galeritam esse censet non omnino male, cum ex Aristophane pateat Indorum narratiunculam Galeritæ a Græcis adtributam fuisse. Pone Osiridem Gryps est Soli, idest Osiridi sacer, quem Indorum pictores Solis quadrigis iungebant; vt hinc detur intelligi cur in Gallieni nummo huiusmodi animal inscriptum sit* A POLLINI AVG. *& quidem Appuleius stolam Olympiacam Sacratorum describens ait: hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei, quos in speciem pinnatæ alitis generat Mundus alter. hic tamen auritus non est, vt delineant Plinius, & Denarius Papiæ Gentis. accedit autem*

lib. 10. c. 29.

lib 10. de. de hist. an. c. 17.

lib. 16. c. 5.

In ἀντιπελαργεῖν lib. 8. Hierogl.

In Auibus.

Philostr. lib. 3. de vita Apollon. Poetæ etiam, vti Sidonius panegyr. in Anthemium vt in Burgo Põtij Leontij.

lib. 10. ca. 49.

lib.4.cap.26. *tem magis ad Cteſiæ narrationem, qui apud Aelianum ſcripſit Aquilino ore eſſe, & capite. hæc omnia cum hæſitatione dicta ſunto. quid enim prohibet Monſtrum hoc in numero Sphingum reponi?*

Lib.2.11.D. Greg. iuect. Diodorus Sic. lib.1. *Iſin cornibus exornabant Aegyptij, vt Herodotus, & Nonnus præter ceteros, teſtantur. an propter aſpectum recentis Lunæ, qua ratione ſignum Lunæ*

Pauſan. Elia cor. poſter. Diodor. Sic. lib. 1. *cornutum apud Eleos videtur extitiſſe? an reſpectu Bouis, qui ipſi mactabatur? an quia fruges inueniſſet, & ſine Bobus vix aut difficile conſtaret Agro-*

Ouid. lib. 1. Met. Aelian. lib. 2. var. hiſt. *rum cultura? an vero quod Inachi filia eſſet, quem Taurinis cornibus inſtructum, vt fluuiorum pleroſque, coluerit antiquitas? qualem Acheloum effingebant Acarnanes.*

De præp Eu. lib. 1. ca. vlt. lib. 1 part. 2. cap. 2. *An quod id eſſet Regium inſigne vt de Aſtarte ſua produnt Phœnicum Theologi apud Euſebium? quod & apud Aegyptios Reges, referente Diodoro*

Val. Max. lib. 5. cap. 6. Iul. Capitolinus. Plutarchus. *vſu receptum eſt. quo ſpectant cornua enata in capite Genucio Cipo Prætori, & omen de Tauro cornibus ſuſpenſo, Antonino Pio factum antequam imperaret. neque ineptum erit arbitrari alluſum ad Galeam, quam e Bouis capite fabrefactam Iſidis capiti Mercurius impoſuit, vel poſtremo eos Moyſem*

Exod. 34. *ſan-*

Sanctissimum virum æmulari voluisse, qui a congressu Domini DEI Exercituum faciem cornutã referebat. fuit enim semper Diabolus diuinorum operum vsque ad impostu̇ram æmulator, vt olim Sanctissimus vir IVSTINVS *Martyr, & nostro sæculo* CAESAR BARONIVS *Card. cui Christiana res æternum debebit, luculentissime probauerunt. neque enim abhorruit Aegyptus a Iudæorum institutis, inde namque videtur effluxisse, & circumcisio, & ouium arborumque Circunlitio, quam ab Hebræis Agni sanguine postes illinentibus arripuerunt. Stellam, qua Isidis cornua distinguuntur* Σωθιν *Aegyptij,* Ἀστρωνοὺ *Græci nuncupauerunt vt docet Horapollon. Latini Luciferum & Vesperum, alij aliter. Plinius. iam magnitudine extra cuncta alia sidera est: claritatis quidem tantæ, vt vnius huius stellæ radijs vmbræ reddantur. itaque, & in magno nominum ambitu est. alij enim Iunonis, alij Isidis, alij Matris Deum appellauere. Hyginus maximam vocat, vt non ab re talem in Tabula toties conspiciamus. reliquæ sunt huius primæ Regionis postremæ tres imagines, quarum prior, Osiridis nimirum, læua manu Modiolum exhibet præclarum illũ Sarapidis Tutulum, de quo paulo supra verba fecimus, quem que præ oculis habuisse videtur Lucianus, illi hominum Deumque conuiciator, quando scripsit* ποτήριον *Aegyptiorum quibusdam Deum esse. penultimi signi insigne gesta men sunt Osiridis testes (quod nemo non rideat) oculati. licet enim oculus hic non ita exacte appareat,*

Incolloquio cum Triphone.
Annal. to. 1. qbus adde Ananiam de Nat. Demo. lib. 2. & Vairum de Fascino li. a. cap. 1.
Herod. li. 2. Epiph. adu. hær. lib 1. lib. 1. cap. 3. lib. 2. cap. 5.
In poet. Astronom.
De sacrificijs.

in

in Gemma tamen, quam Molochiten vocant apud NIC. FABRICIVM *liquido conspicitur.*

lib. 1. Satur. cap. 21. *Vt minus mirum sit quod scripsit Macrobius; Aegyptios vt Osirin, qui Diodoro, Plutarcho, &* Euf. ex Diodoro, lib. 1. præp. Eu. c. 6 *Eusebio multi oculum significat, exprimerent speciem oculi delineasse. testes vero sacrauit Isis, quæ cum Osiridis a fratre Typhone interempti reliquias anxie conquireret, eiusdem pudendorum imaginem* lib. 1. cap. 2. *diuino cultu honestauit vt inquit Diodorus. alij tradunt Pamylen quandam hoc instituisse, &* Plutarchus. lib. 5. adu. Gent. *Pamylia festa appellasse. hinc, veluti e perenni superstitionum fonte, manarunt apud Græcos Dionysia* Herod. lib. 2. Ad 1. Inuectiu. Naziãz. lib. 5. *Ithyphallica non sacra sed scelera, quibus, inquit Arnobius, in Liberi honorem Patris Ithyphallos subrigit Græcia, & simulacris virilium fascinorum territoria cuncta floreſcunt. erant autem ficulnei, quia* In orat. Gregor. in sancta Lumina. in Poet. astr. Theodoret. ser 8. Clem. Alex. in ptr. Theodoret. serm 1. & 3. Plut. Suid. in σκιὰς Athen. li 24. Arnob. lib 5. adu. gent. Diodor Sic. lib. 1. par. 2 c. 4. Petron. Arbit. *ficus inuentor Bacchus, seu coriacei e collo pendentes, vt narrant Herodotus, & Nonnus. aureus enim ille CXX. cubitorum, cuius meminit Athenæus extra ordinem fuit. Turpium initiorum originem cum insectatione referunt præter Arnobium, & Nonnum, Nicetas, & Hyginus. hinc Phallagogia; Phallophoria, Ithypalli, & Phallophori. hinc Veneris Cypriæ abstrusæ illæ initiationes, quarum participes*

pro

pro stipe collata phallis donabantur. hinc Satyrorum, Faunorum, Siluanorum ἀποθήκας. *neque aliunde efflu xerunt propudiosa illa Priapi secreta, quæ traducere nefas fuit. hinc Mercurij fascinus a Cyllenijs cultus Athenienſium religione ſacer. hinc Neuroſpaſta apud Lucianum, & remedium, præbiaue in collo pueris res turpicula, Faſcinus videlicet, quem infantium cuſtodem appellat Plinius. huius amuleti ſpeciem ex ære, lapide lazuli, corallio, & chryſtallo hic damus in gratiam eruditi lectoris.*

Pauſan. Aeliacor. poſt. Herod. lib. 2 & Lucian. de Syria. Dea. Var. lib 6. de L. L. lib. 28. cap. 4.

Claudit agmen Iſis cum Sacro ſceptro, cuius πρόσωπος *eſt loti flos ſolis amator perinde ac mariti Iſis. quem florem non modo Aegyptij, ſed & Baſilidiani magnifecerunt, in quorum portentoſis amuletis cernitur cum inſidente Sigalione. Inter mediæ regionis primas obtinent bina Iſidis ſimulachra cum ſubligaculo, cætera in veſtia, penſili, & prominente mamma, quod factum videtur eo quia Iſis* τιθὴ & παντέχνις *ex Platone apud Plutarchum credere tur. imo Macrobius ſcribit continuatis vberibus Deæ (Telluris an Iſidis intelligas parum refert) corpus omne denſeri. & audio extare huiuſmodi ſigna Ro-*

Plin. lib. 13. c. 17. & 18.

Hęc Deo volente in Auctario dabimus.

De Iſide, & Oſiride. lib. 1. cap. 20.

mæ, quæ ego Isidis esse existimo, cistam secretorum capacem capite gestantis. iuuat vetus numisma Hadriani Imp. in quo Isis puellum Orum vberibus exertis admouet.

Et hinc suspicari licet effluxisse cognomen Cereris mammosæ apud Lucretium, & almæ apud Virgilium: cum Ceres eadem cum Iside fuerit, vt vel ex eo patet quod apud Hermionenses in fano Sarapidis, & Isidis arcana Cereris stata, & sollemnia erant. ex hac indiscreta numinum ratione Ἄρτεμις *quoque* Ἐφεσία *multimammia in eorundē nummis conspicitur. Minucius Felix. & Ephesia mammis multis, & vberibus extructa. Ceres enim, & Luna (seu Dianam mauis) eædem sunt ex sententia maximi Poetarum.*

lib.4.

Pausan. Corinthiac.

Octauio.

lib.1. Georg.

— vos o clarissima Mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum.
Liber, & alma Ceres —

Non indocti apud vos viri (inquit Arnobius) neque quod induxerit libido garrientes, Dianā, Cererem, Lunam caput esse vnius Dei triuiali germa-

lib.3. aduer. Gent.

nitate

nitate pronunciant. in hac hereſi fuit Marcianus Capella, qui in Lunæ globo ſiſtra Niliaca, Eleuſiniam Lampada, arcus Dictynnæ, Tympana Cybeles collocauit. Superſtat Apis imago Tauri Cæleſtis, Lunæ & Iſidi ſacer, & ideo in comitatu Iſidis recenſetur ab Ouidio & Appuleio. vt autem ipſi auguſtiores natales affingerent ex vacca fulgure afflata conceptum fabulabantur; feſto etiam ſeptem dierum inſtituto, quo manente Crocodili ingenitam feritatem exuebant. & numerus ſeptenarius huic genti ſacer fuiſſe videtur in feſtis diebus. Iuuenalis enim ita de Aegyptiorum peruigilijs.

lib. 2. de Nupt.

Lucianus de Aſtrol. Theodoret. ſerm. 3. Aelian. lib. 11. de hiſtor. an. c. 11. Luctat. Placid. III. Theb. Ouid. 9 Met. & 2. Amor. Appul. 11. Met. Pomp Mela lib. 1. cap. 5. Plin. lib. 7. cap. 46. Solinus cap. 35. Ammian. Marcellin. li. 22. Sat. 15.

Peruigilique thoro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interdum ſol inuenit ———

Si cauſam quæras, religioni aptiſſimus viſus eſt magni etiam Pythagoræ inſtituto, ab Aegyptijs forſan Sacerdotibus, vt alia multa in ea ſecta, promanante. compertum Apin Memphin deducebant: ideo Lucianus & Clemens Alexandrinus a Memphytanis cultum Apidem teſtantur. Memphi præterea initiabatur. Solinus; quem repertum centum Antiſtites Memphin proſequuntur, vt incipiat ſacris ibi initiatus ſacer fieri. eadem habet Marcellinus, qui addit in Thalamum induci ſolitum. qui eum conſecrabat de more rituque priſcæ religionis diadema geſtabat: & Memphi Reges Aegyptij primum ſacris initiabantur, & in Regni ſolio collocabantur. excipiebatur autem Apis hilaritate ſum-

Appuleius lib. 11.

Diodor. li. 1. par. 2. cap 4. De ſacrificijs. In Protrept. Sidonius ad Magnum Fel. Coſ. Non Apin Mareoticum ſonabo. Ad Memphitica ſiſtra cõcitari. Suet. Tit. Commentator Germanici Cæſ.

Lib. 3. lib. 11. c. 10. *ma, vt referunt Herodotus, & Aelianus, quandoque turbis popularibus: apud quos deberet locari* in Hadriano. *(inquit Spartianus) omnibus ſtudioſe certantibus eiuſdem afflatu, ſi credere dignum eſt, concitati puerorum greges futura præcinebant, quos προφήτας videtur appellare Lucianus.* Plin. Solin. Aelian. in Deor. cõcilio. lib. 8. cap. 46 *Delubra eidẽ gemina; ſeu Thalamos adſignat Plinius, Aulã Herodotus Pſammitichi opus, in qua vice columnarũ ſtabant coloſſi duodenum cubitorum. vide Strabonem lib. 17. vbi Memphin, & Apidis Templum enarrat. eundem ſtato die, vltra quem viuere fas non erat, aquis mergebant, idque ex auctoritate librorum myſticorum, vt ait Ammianus. Memphi ſepeliebant: & peracta ſepultura tum demum Sacerdotibus in Sarapidis Templum ingredi licebat. demerſum ſerio ipſi ridendi lugebant. in luctu Cæſariem attondebant. alterius repertu ceſſabat luctus. ceterum quod ad nos attinet Apidis notæ inueſtigandæ ſunt, in quibus deſcribendis auctores ita variant, vt recte cecinerit Ouidius.*

Herod. lib. 2 Plinius, & Solin. Plutarchus. Pauſ. Attic. Tibul. lib. 1. El. 7. Lucian. de ſacrif. & de Syr. Dea.

lib. 9. Met.

——— varijſque coloribus Apis

Nec male Lucianus variegatum, ſeu diſcolorem appellarit. Herodotus namque has Api adſcribit notas; vt ſit toto corpore niger, vt in fronte candorem quadratum, in tergo effigiem Aquilæ, in lingua Cantharum, duplices in cauda pilos habeat. in concil. Deor. lib. 3. lib. 17. *Strabo nigrorẽ corporis albedine quadam in fronte, & alibi interſtinctum in litteras retulit. Plinius in dextro latere candicantem maculam, & nodum*

Can-

Cantharum ſiue ſcarabæum ſub lingua aſſignat. Solinus notæ albæ maculam tribuit. Pompon. Mela nigrum, & cauda linguaque diſſimilem aliorum refert. Ammianus Marcellinus, & Aelianus corniculantis Lunæ congenitam ſpeciem notant. a quibus omnibus abit vt plurimum Apis in Tabula expreſſus. dicendum ergo aut non fuiſſe Notas eaſdem perpetuo, quod nemo ſanus negabit. qui enim poterant ea ludentis Naturæ ſtigmata, nulla inter cedente cognatione ſeminis, eadem ad vnguem prodire ſemper? ex interuallo temporum preſertim. quod enim ſcribit Plinius non vnquam diu quæri, improbatur teſtimonio Herodoti, Spartiani, & Marcellini, & ex eo præterea quod Darius commentus eſt, vt a ſe deficientium Aegyptiorum gratiam iniret, præmio videlicet talentorum centum ei propoſito, qui Apin adduxiſſet. aut dicemus cum Aeliano minime Aegyptijs probatam fuiſſe narrationem Herodoti, & aliorum: ipſi enim multo plures Notas, eaſque diuerſas recenſebant. quare conſulto videntur feciſſe Pomponius Mela, & Ammianus; quorum alter Apin certis maculis inſignẽ alter diuerſis genitalium notarum figuris expreßum appellat. conueniunt tamen omnes, Herodoto excepto, in Lunæ recentis notam dextro lateri ingenitam, quam & in menſa agnoſcimus, & in æreo nummo Hadriani Imp. ſe vidiſſe alij teſtati ſunt. animaduertit autem Achilles Statius, quod ad rem noſtram facit. Niloticis bobus cornua temporibus alte

Poliæn. Strateg. lib. 7.

Sebaſtian. Erizius de Nomiſm. Lib. 2.

alte consurgentia ita curuari, vt summæ illorum partes coire videantur, & plenæ Lunæ ambitum exprimere. notauit autem Lactantius Firmianus Hebræos olim ad profanos Aegyptiorum ritus conuersos Apin coluisse; quando nimirũ longioris moræ, quã Moyses cum DEO fecerat impatientes, vitulum conflatilem cultus causa erexerunt. huius farinæ fuerunt vituli aurei, quos Ieroboan in Bethol, & Dan constituit. consueuit enim populus ille duræ ceruicis abominationes vicinorum in DEI viuentis contumeliam impendio colere. ideo adsciti atque accersiti ab exteris nationibus Reemphaam Chaldæorum, Sidoniorum Baal, & Astaroth, Phœnicum Dagon, Moabitarum, & Ammonitarum Camos, & Moloch siue Melchon. ex eadem schola prodierunt Aruspices, Effeminati, Galli, Fanatici, Coniectores, Excelsa, Luci, & reliqua Gentium nugamenta. neque vicinos tantum Hebræos, sed & longe dissitos Cocinenses, & Malabares videtur inuasisse mala hæc lues Deos sibi ex armentis Boues seligendi; nisi fallunt rerum Indicarum scriptores frequentes, & fidei non improbatæ. adstant Apidi sacerdotes, Prophetæ videlicet, siue scribæ; mento etiam raso vt eos perstringit Lucianus, sacras eiusdem Notas velut perueſtigaturi. Neque vero Isidi tantũ, sed & Osiridi, Oro, & Apollini sacer fuit Apis Diodoro, Plutarcho, Macrobio, & Aeliano asserẽtibus Eusebius etiam ex Porphyrio nigredinem & Cantharum ad Solem trahit. apposite singuli. te-

lib. 4 cap. 10

Exod. c. 32.

3. Reg. c. 12.

Act. Apost. c. 7 3. Reg. ca. 11. & 17. Iudic. ca. 10. 4. Reg. c. 23. & 21. lib. 4. c. 18. & 19.

Rer. indicar. Auct. a Ramusio edit. to. 1. De sacrific. & in Philopseude. lib. 1. c. 2. de Iside, & Osiride lib. 1. Saturn cap 21. li. 11 de hist. an. c. 10. li. 7. de præp. Eu. cap. 3.

statur

ſtatur ſi quidem Appuleius connexam imo vero vnicam rationem numinis, religioniſque (in Iſide, & Oſiride) eſſe. De Iſide, cuius prope cernimus cornigerum ſimulachrum, nihil habeo quod dicam eximium aliquantiſper aut ſingulare. niſi forte ad rem putet aliquis pertinere capillitium ſatis prolixum, & excultum, quod Memphitæ oſtentare ſolebant a quo & frutici lapideſcenti nigro, & Coralium imitato nomen inditum: quod forſan Iſis ea licentia, qua cetera, Abſinthio congenitum in ſuperiori ſegmento manu præfert. hoſce comæ honores æmulata Berenice longe meliori inuento cæſariem cælo inferri paſſa eſt, quam Callimachus, & Catullus inſignes Poetæ carmine magis, quam radio Conon illuſtrarunt.

Lucian. aduerſ. indoctum. Plin. lib. 13. cap. vlt.

Auis illa muliebri facie vel erit Siren, qualem delineant nummi veteres Valeriæ Gentis apte ad Ouidij Metamorphoſin lib. 5.

Apud F. Vrſinum.

——vobis Acheloides vnde
Pluma pedeſque Auium, cum Virginis ora geratis?

Sirenes autem Proſerpinæ comites fuerunt, quam cum Iſide eandem monſtrare, Plutarcho præſertim aſſerente, quiſpiam non magno negotio poſſit. interceſſit præterea inter Iſidem, & Sirenes cognatio aliqua, cum narret Apollodorus ex Acheloo, & Melpomene Mnemosynes filia Sirenes natas: at Hermopoli Muſarum princeps (Calliopen intelligo) Iſidis & Iuſtitiæ nomine cenſebatur. vel ſi negemus eſſe muliebrem faciem, & virilem aſſeramus vt capitis

lib. 1. Biblioth.

Plutarchus

ornatus

ornatus subindicat, quem frustra alibi quam in virili Icone quæsieris, dicemus esse Osiridis symbolum, ex Accipitre de quo infra ad satietatẽ dicemus, & Osiridis vultu conflatum. cuius & Isidis, Solisue, & Lunæ coniunctionem seu relationem, quam è Naturæ fontibus haustam nemo veterum non agnouit indicat imago sedens, cui appositum est Ibidis caput, peculiari & insigni (vt dicemus) vnius Isidis nota. Crocodili præterea gemini throno subiacent, animantes apprime solares, quos Iamblichus propter hexagonarium numerum cum sole conuenire scribit. tradit enim Aristoteles parere eos oua sexagena, quæ per totidem dies foueant, vltra quem numerum annorum maxime viuaces minime progrediuntur. comprobaret Iamblichi dictum nonnihil Achilles Statius, qui prodidit Crocodili dentes si ad numerum redigantur anni dies æquare; at ipsemet mendacium veritus testimonij auctoritatem verbo eleuauit. plura in hanc sententiam Aelianus lib. 10. est autem hic numerus Astrologis prima mensura, quem τέλειον Græci, nos perfectum vocamus inquit Censorinus. neque alia ratione factum putarim, quod apud Eusebium legitur, Solis imaginem Aegyptios in Naui collocasse, quam Crocodilus gestaret. quod Nauigium Marcianus Capella, cui nos non omnino malam medicinam fecimus, ita describit: cui Nautæ septem germani tamen, suique consimiles præsidebant. in prora Felis forma depicta, Leonis in Arbore, Crocodili in extimo videbatur. Felis nomine Aelurum intelige, &

De myster. Aegypt.

lib. 5. de hist. an.

Plutarchus.

lib. 4. in fi.

Plutarchus.

De die Natali cap. 11.

De prep. Eu. lib. 3. c. 3.

lib. 2. de Nupt. Phil.

omnia

omnia in vnguem quadrabunt. Crocodili ſcalptura Oriens, & Occidens Circi Solaris Metæ exprimebantur, vt retulit Horapollo. eorundem antiquiores diuinatione pollere Aegyptij arbitrabantur, cum de conſulentium manu cibos caperent, vel aſpernarentur, vt de Api narrat Plinius. Crocodilorum cultores fuerunt Ombitæ, Coptitæ, & Arſinoitæ; Thebani, & Mœrios ſtagni accolæ. quin & Vrbi nomen a Crocodilis inditum: ipſis diuini honores adtributi, vt aſſeruit præter quam plures nobilis Geographus, qui huius præpoſteri cultus ſpectator fuit. Tentyritæ e contra, & qui circa Elephantinam erant interficiebant. Iuuenalis. lib. 1. Aelian. li. 6. cap. 4. Aelian li. 10. de hiſto. an. cap. 22. 25. Herodotus, lib 2. Strabo li. 17. Sat. 15.

Inter finitimos vetuſta atq; antiqua ſimultas,
Immortale odium & nunquam ſanabile vulnus.
Ardet adhuc Ombos, & Tentyra. ſummus vtrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorũ
Odit vterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos quos ipſe colit ———

Omnia ad hiſtoriæ fidem. Ioſephus enim grauis in primis auctor Apionem refellens obijcit, Aegyptios inter ſemet religionis ergo præliari. inualuerat enim prauus hic mos in vniuerſa Aegypto politico quodam Regum conſilio, ne ſcilicet populi paria ſentientes facile contra ipſos conſpirarent. quæ fraus vtinam ad quoſdam e noſtris magno Chriſtianæ Rei- lib. 2. Diodor Sic. lib. 1. par. 2. cap. 4.

pub. malo non peruenißet. ſed caueant. malum enim conſilium, vt vetus eſt dictum, conſultori peſſimum. pleraſque alias harum turbarum cauſas ne pigeat vi dere apud Plutarchum, qui narrat graue bellum ſua tempeſtate conflatum ex huiuſcemodi cultus diſparitate inter Cynopolitas, & Oxyrynchitas. Ombitæ liberos ſuos a Crocodilis raptari(o tenebras!) mirifice gaudebant. at non ita viſum Cleomeni homini Alexandrino, qui huiuſmodi ineptias in priuatam nundinationẽ conuertit. Tentyritæ, & Apollonopolitæ egregie, qui noxias beſtias oderant, & interficiebant. cauſam quæris? Typhonem Oſiridis illum interfectorem Deorum omnium hoſtem in Crocodilum conuerſum eße exiſtimabant. Typhonem hunc, ne indictum abire patiamur arbitrabantur Aegyptij vim quandam malam, & tyrannicam eſſe; a quo, vt verbo dicam, incommoda omnia fluerent. hæc ipſis Typhon, Seth, Bebon, & Smy appellabatur. oßa Typhonis ferrum; Typhonem ipſum ruſi coloris fuiſſe dictitabant. hunc Manilius proprijs videtur coloribus depinxiſſe.

Plutarcho adiungẽdus Apollo Abbas. Apud Pallad. in Lauſ. ſect. 48 Aelian. li. 10 cap. 22. Maxim. Tyr. ſer. 35. Ariſt. de Re Famil. lib. 2. Aelian. li. 10 cap. 22. Plutarchus.

lib. 4. Plutarchus, quem omni no vide, & Agath lib. 2. hiſt. Rabanus Maur. de inſtitut. cleric. lib. 2. Pet. Sic. Sul pic. Seuer. hiſt. ſac. extremo lib. 2. Iſidorus de vir. Illuſtr. & lib. 5. Etym. ca 5. Theod. hæret fabul. li. 1 D. Hier. adu. errores Iohan. Hieroſol.

Scilicet in Piſcem ſeſe Cytherea nouauit.
Cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in vndas
Anguipedem alatos vngues Typhona ferentem.

Ab hac radice pullularunt Magorum ſomnia de Oromaza, & Arimanio; Manichæorum commenta, Incantatorum præſtigiæ, Gnoſticorum, & Marcio-

Marcioniſtarum deliria, qui duo Principia aſſeruerunt. inter Ibin, & Crocodilum, vt in ſemitam redeamus ea intercedit ἀντιπάθεια, *vt ſolo Ibidis pennarum contactu (ſi Aeliano credimus) Crocodilus ſtatarius fiat. Oſiridi ante ambulonis Iſidiſtipatoris operam præſtat Orus vt arbitramur de quo inferius agemus; peritos Structores imitati, qui in paupere domo ita conuiuium inſtruunt, vt Cenæ caput plerumque in extremos miſſus reijciant. Iſis in ſolio ſacro Tabulæ meditullium obtinet, vniuerſæ rei contextum & ſeriem ſibi vendicans. ornat ipſius vertice Numidica guttata, caputfouens expanſis alis, quali poſitu cernitur & in antiquo æreo ſigillo, quod ſeorſum in* AVCTARIO *dabitur.* & *ſane Pauſanias docuit nos, apud Tithorenſes Meleagride aue Iſidi fieri Aegyptio ritu. aui impoſitus ceſticillus, e quo ſurgunt bina Perſeæ folia,* & *cornua illa ſatis decantata, inter quæ bicornis Scarabæus, quem Taurum Ariſtoteles, Lucanum vocauit Nigidius, Lunæ ſacrum vt notat Horapollo quod vt* & *Porphyrius animaduertit, in partu fouendo VIII.* & *XX. dierum periodum Lunarem obſeruet. Scarabæi characterе Aegyptiorum bellatores ſignabant ea ratione, quod cum fœminino genere hoc inſectum careat, viros vtique ſolos deceat bella tractare. addit Plinius ab Aegyptiorum pleriſque inter numina coli. imo e gemma, lapideue eoſdem elaborabant, in eum videlicet vſum, vt filo traiectos geſtarent; cuiuſmodi e Sarda vidi apud amicũ meũ* EDMVN-

lib. 10. de hiſtor. an. c. 30

In Phocicis.

lib. 5. de hiſtor. an. c. 19. Plin. lib. 11. cap. 28. lib. 4. de abſtin. Plutarch. & Aelian. lib. 10. cap. 16.

lib. 30. c. 11.

DVM BRVTZIVM *insignium rerum acerrimum conquisitorem. Isis ipsa plumatili veste induta est e Numidicæ pennis confecta, familiari vt videtur, & pene domestico integumento, quod fortasse guttarum specie Osiridis etymon referret. Ferculi basin ornant Hieracosphynx, & Canopus, de quibus sermo erit inferius. Sceptra baculosve, quos & a lateribus & in basi conspicimus Artapani testimonium insigniuit. is enim apud Eusebium refert, cum Tellus a Moyse baculo icta Muscas, Ranas, Locustas, & alia huiusmodi fastidia protulisset, consueuisse Aegyptios in templo Isidis, quæ Terra foret, Baculum cultus, & memoriæ gratia collocare. hæc apud Pierium pessime descripta sunt, ab ijs forsan, qui Autographa non capiebant. Oro stanti, è regione est fœmina, de cuius nomine mihi non liquet. scio quidem Aegyptijs cultas esse Nephtyn, quam Finem, Venerem, & Victoriam esse censebant; Tithrambo seu Hecatem, Thermutiden, & Eumenutin Canopi vxorem; Themidem, Vestam, & Gratias, at hæc omnia nihil ad Bacchum vt in Adagio est. ad Osiridem veniamus, cuius scabello insculptus Leo est, apponi solitus sub Ori Throno vt Horapollo testatus est, cuius auctoritas apud me magna peruicit aliquando vt crederem, Icones omnes, quæ Vpupam præferunt in virga sacra (vt ipsi appellabant) Ori esse, quem necis paternæ vindicem fuisse scribunt omnes. hæc mihi supprimere non libuit, quæ fortasse amatorem inuenient.*

πολυόφθαλμος.

lib. 9. præp. Eu. cap. 4.

lib. 14. Hierogl.

Plutarchus.

Epiph. lib. 3. adu. hær. & in Ancor. Herodot. lib. 2.

lib. 1. c. 71.

nient. pulcrum enim duxi ſemper veritatem, etiam per exiſtimationis diſpendia conquirere. vt cumque hæc ſe habeant non hallucinabitur, qui Solem, Orum, & Oſiridem in vnum redegerit, & Oſiridi Leonem aſſignarit. ignitæ namque naturæ animal caloris, & ignis auctori conuenire arbitrabantur. & Solem retulit Porphyrius a quibuſdam Lacertum, Leonem, Draconem, Accipitrem appellari. ad hæc Leonis ſignum in Zodiaco Aegyptij domicilium Solis appellauerunt. & ideo Crœſus Delphos inter alia Anathemata Leonem aureum miſit. Segmenti huius extremum obtinent ſigna Iſidis cum Sacro capitis ornatu; Spicis nimirum vulturiniſque pennis. de Spicis præter Ouidium, & Appuleium, inſignis eſt Tertulliani locus in lib. de corona mil. ita ſcribentis, ſi & Leonis Aegyptij ſcripta euoluas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit. de Pennis Aelianus, qui eaſdem in Aegypto veſtibulorum faſtigijs ornamento eſſe teſtatus eſt. pone Iſidem hinc Rana, illhinc Cynocephalus, niſi quis Cercopithecum eſſe malit. at Cynocephalum ſtantem, manuſque in cœlum tollentem βασίλειόν τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα *fuiſſe Lunæ exoriẽtis ſymbolum retulit Horapollo.* Βασίλειον

Grammatici Regiam interpretantur. ego cum vulgata Horapollinis verſione Regium inſigne, ſeu Diadema lubens retineo; fauente præſertim Pictura, quam præ oculis habemus. & quidem Regium capitis inſigne (ſiue Reges priſcos intellexerit Horapollo, ſiue Imperatores quorum æuo vixiſſe creditur)

lib. 4. de abſtin.

Macrob. lib. 1. Satur.

Herod. lib. 1.

lib. 9. Metã.

lib. 10. c. 23.

lib. 1. c. 15.

Suidas.

circu-

lib.6.c 37. *circulũ imitabatur. firmat hæc Aelianus, qui Aſpidum Picturam in diadematibus Aegyptiorum Regum notauit, quam in Tabula videri nemo opinor negabit. at ſi cui hæc minus placent, audiat quid mihi ex inſperato venerit in mentem. conſueuit dædala Antiquitas res hominum opinione religioſas, & auguſtas quibuſdam veluti Notis inſignire, per quas ipſis aliqua dignitas accederet. inter has maxime nobilis fuit orbis quidam capiti aliquando circumſcriptus, Venerationis index & Maieſtatis, quæ humanam excederet. hunc ego Imperatoribus, quos Veteres ſupra faſtigium mortalitatis elatos ſuſpiciebant, Prouincijs Orbis Romani, Vrbibus primarijs, Animalibus etiam Deorum circumpoſitum notaui. & quod ad Auguſtos pertinet, extant numiſmata ærea Antonini Pij, & Conſtantij illius, qui Arrianis fauens Catholicam Eccleſiam perturbauit.*

Edidit Hieronym. Rubeus in Append. hiſtor. Rauen.

Et Rauennæ in Aede D. Vitalis manent adhuc antiquiſſimæ ex opere muſiuo Iuſtiniani, & coniugis imagines, quarum capita noſter hic circulus ambit

ambit. Prouincias, & vrbes videmus in libro, cui Titulus est NOTITIA VTRIVSQ. IMPERII. *& in Tabula Itineraria, quam debemus* MARCO VELSERO *Cl. Viro, cuius beneficio factum est, vt nobile illud Antiquitatis monumentum in lucem prodiret. Pauonem postremo ita exornatum gestat Aeternitas in antiquo nummo Faustinæ Augustæ.*

Hunc Orbem Aegyptij in summo capite simulachrorum suorum locabant: quod & hic & alibi licet animaduertere. ab illis Romanos sumpsisse licet suspicari: & variasse habita decoris ratione, quod capiti, cui diuinum quid in esse putabant, eo situ corona aptaretur. qui tamen ornatus insequentium Principum moderatione, & tacito omninm consensu DEO, & Sanctis eius, vt alia pleraque in totum cessit, & antiquum Diadematis nomen in hodiernum diem retinuit. at Cynocephalus, a quo digressi sumus, Diademati Lunæ speciem annexam habet, cum qua vt Iamblichus tradit, communes habet physicas rationes, quæ sunt, eadem exoriente lætari, deficiente mœrere. Cynocephalos in numero simiarum ponunt Aristoteles, Plinius, & Solinus, vt minus

De myster. Aegypt.

lib. 2. de hist. an. li. 8. c. 54. cap. 30.

nus mira videantur quæ de eorundem docilitate prædicat Aelianus, Ptolemæis videlicet regnantibus, litteras pingere, saltare, tibias inflare, stipem pro his colligere, & in marsupium conijcere doctos fuisse. hos Hermopolitæ in numinum loco habuerunt si Strabo credimus. Cynoprosopos videtur appellare idem Aelianus, quibus manus cum robustis vnguibus, caput & dentes caninos, pectus hirsutum, & pedum celeritatem tribuit. de Rana, quæ Perseæ pomo insidet vix habeo quid dicam. vt enim Aelianum missum faciam, qui Ranarum Aegyptiarum vafritiem commendat, conijcere possumus hoc animal veluti fœtum Nili, quem Sacerdotum sapientiores Osirin vocabant, in aliqua veneratione fuisse. hinc autem in sacris scalpturis Embryonis nota fuit, vt quæ esset Telluris ac si dicas Isidis filia, quam Nilus altricibus aquis fœcundat. his accedat oculorum acies, qua ita pollet, vt eiusdem aciei fuerit symbolum peculiare: vt ex hoc capite Osiridi, & Oro per belle congruere queat.

lib 1. de hist. an. cap. 10.

Hæc & hodie perdocē tur, vt prodit oculatus testis Petrus Bellon. lib. 2. obser. cap. 52.

lib. 17.

lib. 10. c. 26.

lib. 1. de var. histor.

Plutarchus, & Euseb.

Horapollo, lib. 1. c. 25.

Idem lib. 2. cap. 101.

Supra ea, quæ diximus simulachra stat in proprio veluti consepto Apidi aduersus Taurus alter & ipse sacer: Onuphis videlicet, qui & Menuphis Suidæ (nisi hoc nomen vtrobique corruptum sit) Bacisue, seu Mneuis. totidem enim apud Aegyptios (quod ego sciam) culti sunt. Onuphis niger fuit magnitudinis admirandæ, & herbam Medicam depascebatur. Bacis Hermunthi colebatur Soli sacer, nam, & per singulas horas mutare colores affirmatur, inquit Macrobius,

Aelian. l. 12. cap. 11.

Macrob. li. 1. Sat. cap. 21.

Macrobius, & hirsutus setis dicitur in aduersum nascentibus cõtra naturã omniũ animalium. Mneuis ităẽ Soli sacer Heliopoli colebatur, niger & nonnullo rũ sententia Apidis pater, quẽ maximis testibus, niger rimũ, & aduersis pilis insignem fuisse scribit Eusebius; quẽ Netiron vel Neuton videtur appellare Macrobius. inter hos disceptatorem agere non lubet. vnum docuisse satis erit in Archetypo nigri coloris esse bouem hunc, quem siquis vnicum re, nomine triplicem esse dixerit non inepte dixerit.

Aelian. li. 11. cap. 11. Diodor. lib. 1. par. 2. c. 4. Eusebius lib. 2. pp. Eu. c. 1. Plutarchus, & Ammian. Marcellin. lib. 22. qui videtur hæc ignorasse cũ scribat super eo nihil dici memorabile lib. 2. de præp. Eu. c. 3

Restat nobis explicandum Mensæ infimum spatium, quo peracto limbum percurremus cum aliqua spe si non Palmæ, at plausuum tamen, & adclamationum. occurrit autẽ Isis, cuius capiti insidet calathus cum manubrio, Osiridi communis; vt amborum vis frugifera, & capacitas omnia in sublime trahentium declararetur. De Aspide, Stellaque superius. hic satis erit admonuisse Aspidem repetitæ iuuentæ beneficio, & incessus facilitate, sideri comparatam fuisse. quod adeo verum est, vt notarit Clemens Alexandrinus, Astra propter obliquam conuersionem corporibus serpentum assimilata fuisse. Interpretationem proximæ Iconis cogitaui sæpe sæpius an attingere expediret, tantam inquirenti difficultatem obtrudere visa est. & denique consultius visum fuit dicere aliquid, vt quæstionis ambagibus expositis, doctiores ad hæc disquirenda prouocarem. qua in re Lectorem monitum volo, me coniecturis,

Macrob. li. 1. cap. 20.

Plutarchus.

lib. 5. strom.

quando alia non suppetebant, indulsisse: cum modo tamen, & voto corrigendi si quid minus vere dictum inciderit. Goropius Canopum contra historiæ & veterum monumentorum fidem interpretatus est. an ego meliora in medium attulerim eruditi Lectoris hæc erit cognitio: Eusebius ex Porphyrio scribit, Aegyptios Mundum expressisse complicatis pedibus, veste variegata indutum, auream Pilam capite sustinentem. hæc ideo quia locum non mutet, quia stellatus sit, quia rotundus. Plutarchus vero libro sæpius citato, ex Eudoxo Aegyptiam fabellam recitat. Iouem videlicet pedibus inter se connatis feriantem ab Iside ad gressum expeditum fuisse. cuius fabellæ hoc erat ἐκπωμάδιον *DEI mentem inconspicuam & latentem sua natura esse: motu autem ad rerum procreationem processisse. quare dicamus & nos propositum simulacrum Ori esse, cuius nomine Aegyptii Mundum hunc interitui & ortui obnoxium; ideoque veluti spurium a Typhone accusatum, intellexerunt. quæ indesinens recentium formarum libido fecit, vt Orum illi a Baccho, & Priapo non seiungerent. ab hoc capite fluxit Ori discerptio, quem Luna, seu Isis Mundi mater in aqua repertum vitæ restituit (ita fabulabantur) & immortalem fecit. genitalis enim Aquæ vis, & Luna sublunarium Regina Mundum & fœcundant, & immortalem fere per varias rerum vices efficiunt. hinc apud eosdem*

lib 7. Hierogl. & alibi.

lib 3. de pp. Eu cap. 3.

Plutarchus.

Suidas.

Plutarchus.

Aegy-

Aegyptios inualuit opinio, Lunam & Solem oculos Ori fuisse, appositè ad Historiam sacram, in qua DEVM legimus duo luminaria magna in Mundo constituisse. quod vero ad Iouem attinet nihil aliud Iuppiter fuit, quam Mundus vel Mundi pars; vt pene putidum sit recensere hic Orphei, Empedoclis, Arnobii & aliorum testimonia. hinc Solem Iouis oculum appellauit antiquitas; & Iouis, Cœli, Mundi mentem. Hoc igitur Ori Ectypon esse statuamus, quẽ in Paludibus apud Butum Latona primum enutriuit. in cuius rei memoriam institutum videtur, quod D. Epiphanius narrat; Buti videlicet senes Sacerdotes caput rasos, ad instar Nutricum Orum seu Harpocratem gestare circumcursantes, & faciem pulticulis oblitos eam in ebullientem lebetem demittere. & quidem hæc imago ad infantis pueri speciem accedit inuoluta nimirum fasciis, & compositis pedibus, quo statu Deorum simulacra apud Aegyptios fingi testatur Heliodorus lib. 3. Aethiop. Huiusmodi sunt icunculæ fictiles, quas passim in thorace conditorum funerum ex Aegypto ad nos aduectorum Aromatarii reperiunt. vt suspicari liceat Herodotum de funeribus Aegyptiorum loquentem, religione aliqua impeditum Ori nomen consulto subticuisse. nemo enim erit (modo conditum funus viderit) qui nos nugari putet si dixerimus hanc imaginem seruati funeris exemplar. vidimus autem apud NI-

Plutarchus. Gen. 1.

Apud Appuleium de Mund. apud Plutarch. de Placit. Philos. lib. 3. 4. uers. gent. Macrob. li. 1. Sat. ca. 21. & 18. & 19. Plutarchus. lib. 3. aduer. her.

Euterpe.

COLAVM FABRICIVM *Ori typum in Gemma, quem hic delineatum voluimus.*

Ostentat autem Orum in Baride forsan iacentem, virgata veste indutum, pedibus indiscretis. Caput & pedes obsidet Vpupa, quod summe pius Osiridem parentem a Typhone interemptum vltus fuerit. de Scarabeo cornuto satis paullo supra. Orum in Tabula contuetur Isis modiolos quinque præferens, quorum rationem intactam finere, quam per Diuinationes inuestigare maluimus. Sacra Auis Accipiter librum, quo Deorum Ritus continebantur, detulit olim ad Sacerdotes, ideoque iure Isidis capiti insistit, quæ Dijs quibusq; Templa, Honores, & Sacerdotes constituit. hæc autem Doctrina in libros relata esse videtur,

Diodorus, lib. 1. par. 2. cap. 4.

Diodorus, lib. 1. c. 2.

In Gallo.

Pythagoras enim apud Lucianum se Rituales Aegyptiorum didicisse profitetur. in proxime sequenti Osiridis simulacro status pedum notandus ceteris quoque huius Tabulæ Imaginibus communis. sunt enim omnes varis pedibus, & in se contractis. cuius rei ratio ab Aristotele petenda, qui in problematis quærit cur Aethiopes, & Aegyptii blæsi sint. τὶ βλαισοὶ, *qua voce ibi vti*

Problem. sect. 14.

tur

tur Philosophus, quid significet Interpretes inter se digladiantur. ego prauitatem interpretor. at vero qualis sit distortio hæc, & quarum corporis partium Aristoteles vti conspicuam non explicauit. Nos e Tabula primi forsan omnium (venia sit dicto) subodorati sumus. cum Tabula faciunt pleræque Aegyptiorum numinum Icunculæ fictiles antiquissimæ apud PROSP. ALPINVM qui olim Aegyptum magno cum fructu studiosæ Iuuentutis peragrauit. imo apud eundem spectatur Tela Indica ex Aethiopum Officinis prompta, in qua indigenarum mulierum mira simulacra eodem positu pedum incedunt. at negabit quispiam Aegyptios propria corporis vitia in Diis expressisse. non negabit opinor si apud Theodoretum legerit Αἰγυπτίους ὡς ἀυτως ἀυτὰς διαμορφοῦν πρὸς τὴν ἰσχίαν μορφήν. Serm. 3. quòd Aethyopes, Thracas, Persas, Medos feciſſe commemorat. ceterum hæc Theodoretus a Clemente Alexandrino videtur mutuatus. lib. 7. Strom. at quia supra votum meum contigit ANTONIVM QVÆRENGVM (norunt omnes quem virum) in explicatione Aristotelici problematis mecum sentire, a studiosis Lectoribus me gratiam initurum certo scio si eiusdem hac de re aureolam disputationem, cuius describendæ vir non minus ingenuæ naturæ, quam eruditionis, mihi potestatem fecit in Commentarium meum inseruero.

A. QVAE-

A. QVÆRENGVS LAVRENTIO PIGNORIAE.

QVod tam verecundè insignium virorum opiniones conuellere aggrederis, in eo Laurenti non minorem iudicij laudem, quam modesti, ac pudentis animi promereris. si qua enim in re probandus est antiquus è Menandri comœdia senarius.

Τὸ πολλὰ τολμᾶν πολλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ

Probandus certe in re litteraria, in qua nullum peccandi modum cum sibi statuat audacia, difficile dictu est quàm licenter hoc præsertim æuo grassetur in bonas artes. Sed in tanto veritatis, ac pudoris discrimine audi tamen quid a grauissimo Theologo pronuncietur. Si quis est inquit, qui ob humanam auctoritatem rationi abrogandam fidem existimet, hunc tu dignum ducito qui diuini vatis sententia brutis animantibus adnumeretur, & rursum. Qui alium adigit vt in verba magistri iuret, nec præterea quidquam aut scribat, aut doceat, quàm quæ ab illo tradita accepit, is ad veritatem pergentibus viam obstruit, & ingenij lumen contra æternæ legis præceptum non abdit modo, sed opprimit, & extinguit. Audendum ergo, sed ita vt numquam excidat, τὸ μέτρον ἄριστον, *& si quid refellimus id more tuo improbemus non contentionis, aut inanis gloriæ studio, sed publicæ vtilitatis.*

Quod

Quod vero pertinet ad locum Aristotelis in problematis, videris mihi tam felici coniectura Aegyptiam superstitionem cum Græca Philosophia contulisse, vt si quis a te forte dissentiat, nemo tamen esse possit, qui opinionis tuæ rationem non maxime probabilem fateatur. Quid enim illis acutius? Veteri mortalium instituto ad suæ quisque gentis similitudinem omnes deorum speciem effingunt, cur igitur nullam Isidis, & Osiridis imaginem non varis cruribus antiquus cælator expressérit ab ipsa Aegyptiæ gentis corporum habitudine petendæ sunt causæ. Tum addis, At docuit nos Aristoteles, quod in dijs illis cum admiratione intuemur, id vulgo in omnibus Aegyptijs naturam efficere iam ergo inuenimus quod quærebamus; Quin duo simul didicimus, & quod modo dictũ est, & quæ recta sit interpretandi Aristotelis in illo problemate ratio, τὸ βλαισόν enim cum multa significet, ad peculiarem tibiæ demonstrandam imflexionem, qualem in Aegyptia tabula inspicimus, aptissime duci potuit. Sed duos habes magni nominis aduersarios, Theodorum Gazam, & Guil. Budæum qui tamen cum inter se dissentiant te si neutri accedis ab iudicij temeritate facile vindicant. Putauit Theodorus nihil aliud esse apud Arist. eo loco βλαισότητα quam prauam pedum inuersionem, atque ea de causa quod barbarus interpres intortum simpliciter reddiderat id ipse suo more simul transferens, & declarans nouo in lingua latina dicendi genere pedum blæsitatem appellauit. Hanc vero maxime

propriam

propriam eius esse vocabuli notionem probare potuit non leuibus argumẽtis. Nam Suidas cum duobus in locis blæsi, rhæbique differentiam exponeret, illum proprie dixit esse, cuius pedes a genu detorti conspicerentur, hunc vero cui vitiũ esset in tibia. Et Xenophon initio libelli περὶ ἱππικῆς vbi docuit equorum vngulæ si nimium depressæ sint, inde fieri vt pars pedis interior ingrediendo lædatur, statim addidit ὥσπερ οἱ βλαισοὶ τῶν ἀνθρώπων Inepte vero huiusmodi vsus esset exemplo si βλαισότητος aliud esset quam pedis inuersio. Postremo Alexander cum primo problematum libro indagandum proposuisset διὰ τί τῶν εὐνύχων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οἱ πόδες διαστρέφονται. in secundo eamdem propere repetens quæstionem ita scripsit διὰ τί οἱ οὐνοῦχοι μαιγοὶ καὶ βλαισοί; quasi indicare vellet illos ipsos, quibus distorqueri pedes alibi dixerat, blæsos propriæ numcupari. His fortasse aut non admodum εὐλογοτέροις suam tueretur Theodorus translationem. Budæus vero cum ad huius vocabuli aperiendam proprietatem multa congerat, nec satis explicet quid potissimum probet ita Aristotilem videtur interpretari vt blæsum dici velit cuius crura extrorsum diuersa, ac diuaricata sint. hunc autem eundem esse cum valgo, quod ex Sex. Pompeij explicatione facile intelligi putat. valgo vero ita varum opponi quemadmodum blæso opponitur rhæbus. Hæc Budæus, quorum si quis rationem exigat non deerunt quæ respondeat, nam vt Latina omittantur, quæ ad Aristotelis verba recte interpretanda nihil faciunt, Iulius Pollux

libro

lib. secundo ὀνομαστικοῦ, Ραιβοὺς inquit κελοῦσιν οἷς κάμπυλα εἰς τὸ ἔνδον τὰ σκέλη, βλαισοὺς δὲ οἷς τὰ ἀπὸ τῶν γονάτων ἐς τὸ ἔξω ἀπέστραπται. Post Pollucem Galenus (quamquam enim σύγχρονοι, fuerint, videtur tamen Galenus adulto iam Commodo, cuius præceptor Pollux, plura scripsisse) cum in libro περὶ αἰτίων duas attulisset causas, ob quas crura deprauari contingeret, tertiam addidit quam impositi corporis molẽ esse dixit, atq; eius onere quibus rectiora quam naturæ vsus exposceret crura essent eos blæsos fieri, cõtra rhæbos, quibus paulo pronius inter se curuata sinuarentur edocuit. Tum diserus verbis quarum rerum ea vocabula notæ essent ostendere aggressus eadem prorsus attulit, quæ paulo ante ex Polluce descripsimus Ergo si Budæum audias Aegyptios, & Aethiopas valgis fuisse cruribus ex Aristotele discimus, si Theodorum, prauis tantum pedibus eos laborasse probat hypothesis, virumuis autẽ admittas in detuam euerti explicationem contingit, vnde tu illi subsidium parasti, nam si blæsitas nulla est quæ poplitibus in exteriorem partem proiectis pedes comparet, & in recto vestigio ingredientẽ hominem statuat, vel peruerse in antiqua tabula rudis artifex Aegyptiorum corpora adsimulauit, vel turpi lapsu pro cruribus pedes, & pro varo valgum Aristoteles in quæstionem vocauit. Non tamen hæc eiusmodi sunt, quæ te facillime de sententia deijciant. Ac primum, quod vtrique aduersariorum commune est, si τὸ βλαισὸν inferiores tantum corporis partes inuertit, cur libro de Animalium historia scripsit Aristote-

les, flecti hominis brachia in posteriorem partem cum illa exceptione πλὴν μικροῦ ἐβλαίσωται εἰς τὰ πλάγια τὰ ἐντός; *Blæsitas igitur de brachijs etiam, vt loquuntur scholæ prædicatur. Hoc communiter aduersus amb̃os. Sunt vero quæ etiã singulis seperatim obijcias, nam primum quod attinet ad Theodorum, vel blæsum ad pedes recte contractum dicuur, quod ea propria sit vocabuli significatio, vel quod eum necessario sensum expostulet dubitationis propositæ methodus. Sed tam angustis finibus eius vocabuli notionem minime circumscribi clare intelligimus cum ex verbis ij. lib. de Anim. histor. nuper prolatis, tum ex libro de Anim. ingressu, in quo septies repetitus eiusdem vocis vsus ad significandam cruris inflexionem plerumque adhibetur. Dubitationem vero quã proponit Aristoteles non esse ad pedes tantum referendam, & causa rei quæ γινομένη redditur, & ipse prope sensus aperte demonstrat, nam siue calor, siue moles membra distorqueat, qui in longitudinem porrectiores sunt artus, eos facilius vi aliqua adhibita a recto deduci necessariũ est. Budæi verò sententiam non multo validioribus machinis & ipsam demoliaris, nam cum dicit blæsum Aristoteli valgum esse, non animaduertit si hoc verum sit, inde effici, vt Analyticæ artis vel inuentor vel expolitor Philosophus logicas syllogismorum consecutiones ignorare videatur. Quid est enim? crura Aegyptijs extrorsum flectuntur, quia caloris exsuperantiam flexio cruris insequitur. At vel pueri cognitum habent,*

bent, non commeare inter genera, & ſpecies argumenti neceſſitatẽ. Præterea, ſi nihil blæſum eſt, niſi quod exterius inuerſum a naturæ rectitudine abſcedit, eur ad eam brachiorum blæſitatem, cuius argumento ſuperius uſi ſumus, addidit Ariſtoteles explicationis loco verbum illud ἐκτός? Profecto aut ille περιττολογίας eſt accuſandus, aut Budæus improprietatis. Hæc ſingillatim aduerſus utrumque. Quemadmodum vero ad ea, quibus ambo ſuam tueri poſſe interpretationem videbantur, reſpondeamus, omniſque è medio difficultas amoueatur, hinc vt arbitror ducetur tutiſſima ratio. Cum præterum innumerabili multitudine omnis verborum penus magna ſemper laborarit inopia impulit uſum neceſſitas, vt quæ vnius tantum rei propria vocabula eſſent, illa ad res plures ſignificandas certa quadam obſeruata ſimilitudine audacter protraheret. Ex eo verborũ genere ἐκκαισότης eſt, nam vel omnem in partibus animalium ad inceſſum neceſſarijs a recto declinationem ſignificat, vel ei tantum tribuitur, quæ definitæ alicuius partis eſt propria. vtrumque vero genus tam commune quam proprium pari diuiſione diducitur, nam vel adminiſtri progreſſionis artus noxia flexione obliquantur, uel facilioris motus gratia ſic a natura ſunt inſtituti. Ita ſex in genera blæſitas abit. Nec uero difficile eſt ad ſingula, quæ enumerauimus genera, ueterum ſcriptorum uſum, & doctrinam accommodare, nam ſi pro uaria ſententiarum ratione uerba diligenter expendantur primum

blæſitatis genus adhibitum inuenietur ab Ariſtotele in lib. 2. de hiſtoria Anim. ſecundum, & tertium ab eodem in lib. de Anim. ingreſſu. quartum ab etymologico cum blæſum idem eſſe dixit quod παραλυτικόν. quintũ a Galeno, & Polluce, ſextum denique a Xenophonte, Alexandro, & Suida. Quod nam uero ad blæſi genus controuerſi problematis quæſtionem referendam cenſebimus? Profecto ad illud, quod dubitationi parem eſſe reſponſione oſtendat, eſt autem reſponſio eiuſmodi, ut cauſas inflexionis afferat nullam certam ad ſpeciem contractæ. Quam uero in partem illa flexio uergeret in Aegyptijs tu mira ſubtilitate ex ueteri tabula demonſtraſti. Quod ſi noſtra quoque tempeſtate ijſdem terrarum in oris genitos non ualgis ſed uaris ingredi cruribus nos docuiſſes, nullam prorſus de tua ueritate opinionis in animo cuiuſquam dubitandi anſam relictam exiſtimarem. Habes, quod te expetere oſtendiſti, meum de tua coniectura iudicium. Quod uero aliquando tibi dixi, multa eſſe in Platonicorum libris, quæ ſi familiarem ipſis philoſophandi rationem ſequi uellemus, de abditis rerum cauſis, deque abiunctis a materia mentibus ex hac ipſa tabula depromi poſſent, id eiuſmodi eſt, quod uel inanibus commiſcẽdis allegorijs, quales damnantur a Socrate, ingenij uires miſere deterat, uel ſi quid etiam cõtineat, quod cognoſci non inutiliter poſſit, ab ea tamen commentatione, quam tu tibi propoſitam initio nos monuiſti, ſit plurimum alienum.

Pro-

Proximum ſubſellium occupat Iſis, cui ſtans Oſiris auiculam porrigit alis veluti applaudentem. poſt hæc Iſidis effigies, cuius capitis ornatus Loti Floribus & Perſeæ foliis diſtinctus faciem humanam Aeluri habẽtem auriculas includit; cuiuſmodi & alibi viſitur, quod ſymbolum & in vertice Siſtrorum apponi teſtatur Plutarchus. Felis enim ob varietatem, vim noctu agendi, fœcunditatem, ſtatas cum Lunæ vicibus oculorum auctiones, & imminutiones Iſidem indicabat, qua ratione inferius Felem cum Siſtro conſpicimus. muliebris vero facies non ſine mente, conſilioq; Lunæ curſum agitari demonſtrabat. ſuperius pandit alienas alas Scarabæus Solis imago, eiuſdemque in curſu æmulus, in exuenda ſenecta Lunæ exemplar. eius encomia cum alij collegerint, ſufficiet appoſuiſſe hic antiquam Gemmæ ſcalpturam.

De Iſido, & Oſiride.

Clem. Alex. lib. 5. Strom. Horap. lib. 1. Ariſt. li 2. de hiſt. an. c. 17.

In ea Solis caput concinne Scarabæo impoſitũ, quæ omnia ſerpens caudam vorans ambit, vt daretur intelligi fortaſſe, Orbis huius lucem a Sole eſſe, qui ſapiente curſu vitam animãtium moderetur. Accipitris caput in imagine ſequente Oſiridem veluti digito monſtrat, vt enim refert Euſebius ἐν Ἀπόλλωνος πόλει

lib. 3. de pp. Eu. cap 3.

cole-

colebatur ἱερακοπρόσωπος ἀνθρωπος lancea Typhona interficiens. Accipitris faciem (cætera enim nostri instituti minime sunt) ipse ad Solem refert, cum ea Auis lucis & spiritus Aegyptijs symbolū sit: tum ob Alarum pernicitatem, tum ob vim in altiora tendendi. imo Plutarchus Accipitris pictura ab ijsdem Osiridē sæpe proponi refert. cuius rei rationes ab ipso ediscēdæ. Refert Euseb. lib. 2. præp. Euc. cap. vlt. suspicari autē licet a Zoroastre figmentū hoc inuectū fuisse, cuius ἐν τῇ ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν περσικῶν hæc sunt uerba ὁ δὲ θεὸς ἱερακοπρόσωπος ἔχων ἱέρακος. in quam sententiam Plutarchus narrat Sai in uestibulo Templi Mineruæ Accipitris scalptura Deum prænotari. hasce imagines D. Gregorius Nazianzenus portentosas & compositæ naturæ uocat, ubi Nonnus notauit se Alexandriæ uidisse perexigua quædam sigilla (qualia & nos uidimus) caput Canis, Felis, Accipitrisve gestantia. de stella Sothi satis iam diximus, ut etiam de Oro, cuius imago cum Anubide & Isi- In Octauio. de ad Minutij Felicis uerba mirum in modum facere uidetur, ea sunt. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo & alijs Sacerdotibus luget, plangit, inquirit. subdit. mox inuento paruulo gaudet Isis, exultant Sacedotes, Cynocephalus inuentor gloriatur. Anubiden, quem minus proprie Cynocephalum In Apol. c. 6. lib. 1. uocant Minucius, & Tertullianus, refert Diodorus Osiridis filium fuisse, vsumque canis insigni. inde videtur natum, vt canino capite fingeretur. Plutarchus Osiridis, & Nephtyos filiū facit, quē Isis a matre expositū sustulerit, custodemq; perpetuo habue-

rit:

rit: undẽ præterea eſſe cũ Horizõte, & Saturno, Hecatenque imitari numen cæleſte, & terreſtre. ſunt qui Mercurium appellarint veluti Seruius, & Appuleius. imo Lucianus ſcribit Mercurium poſtquam Iſidi in Aegyptum trananti præiuiſſet, ex adoleſcente Cynoproſopum factum. hac de cauſa Anubidis geſtamen fuit κυνόκεφαλον Mercurij inuentum. Anubidis anathemata Cynocephali fuerunt; ex quo videtur factum, vt ab his non diſtingueretur. fuit is Oſiridis, atque Iſidis cuſtos ad canis naturam appoſite. inde apud Virgilium, Ouidium, Propertium, Prudentium, & Auienum, latratoris, latrantis, & caniformis epitheto notatur. Iuuenali deriſor appellatur, quo tamen loci, ſi antiquorum exemplarium fides accederet, deroſor magis placeret ad canem eximie. nec aliud numen intellexit Prudentius.

In fine viij. Aen. In Dial. Noti. & Zeph. Lucian. in Toxari & Nummi veteres.

Aen. lib. 8. Metam. li. 9. El. 10. lib. 3. i Apothęoſi. in Aratæis Phenom. Sat. 6.

lib. 2. cont. Symm.

Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini.

Effigies. ———

Fuit indiuiduus Iſidis comes, quod, præter Minucium Felicem & Tertullian. locis proxime citatis, indicat Auienus.

Digna Poli conſors, & cura latrantis Anubis.

Extat apud nos in Aedibus Rhamnuſijs græca vetus Inſcriptio quam hic appoſuiſſe non omnino ineptum arbitror.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓ
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ
ΕΗΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ

Isis Tabulam fere concludit, cui Leoninum caput impositum eadem prope de causa, qua Osiridi vidimus Ibidis caput concinnatum. Sol enim Leonis vultu fingebatur, inquit Lutatius Placidus, vel quod hic Deus ceteros vi nominis, & potentiâ excellat, vt inter reliquas feras Leo, vel quod sit rapidum animal. & de hoc, vel non absimili simulacro, sensisse videtur Minuc. Felix dum inquit, de capro etiam, & Homine mixtos Deos; & Leonum, & canum vultus Deos dedicatis. Arnobius & ipse,

Ad secundū Theb.

In Octauio.

inter

inter Deos videmus Leones toruiſſima facie, mero oblita minio, & nomine frugifero nuncupari. Tertullianus etiam, ſed illi debebant adorare ſtatim biforme numen, quia & Canino & Leonino capite commixtos, & de Capro & de Ariete cornutos, & a lumbis Hircos, & a cruribus Serpentes, & planta, vel tergo alites Deos receperunt. hinc deſumpſit argumentum Porphyrius ad hæreſin ſuam defendendam; ad ſimulacrorum videlicet compoſitionem quodlibet animal cum homine aßumptum olim fuiße, veluti cum humano corpori facies auis cuiuſpiam, Leoniſue iungeretur. huc reſpexit Lucianus πανταπάλους ἀνθρώπους *recenſens. Romæ quidem extat marmoreum ſignum, quod quia hoc noſtrum æmulari videatur, hic bono publico euulgamus, acceptum a* HIER. ALEANDRO *eruditiſſimo adoleſcente, contubernali olim noſtro, cui volentibus Muſis, Iuris humani & diuini penetralia inuiſere feliciter contigit.*

Apolog. c. 16

lib. 4. de abſtin.

In Hermotimo.

Tabulæ interpretatione absoluta ad Limbum accedamus. incipiemus autem ab angulo, qui sinister superior inscriptus est, in quo Felis cum Sistro Sacrum Isidi animal, cuius vt fœcunditas exprimatur testes Osiridis superne adiecti sunt. huius animantis sepulcra in vrbe Bubasti fuerunt, vbi Diana colebatur, vt minus vere videatur dixisse de Aegyptijs Iuuenalis.

Herod. lib. 2.

Sat. 15.

Oppida

Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Sistrum ad amussim (vt inquiunt) delineauit Apuleius inquiens, dextra quidem ferebat æreum crepitaculum, cuius per angustam Laminam in modum balthei recuruatam, traiectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos iactus reddebant argutum sonorem. non enim persuadent mihi qui putant his verbis Crotalum describi. at crepitaculum appellat. recte id quidem. Martialis. lib. 11. Met. In Apophoretis.

CREPITACVLVM.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet
Hæc quatiat tenera garrula Sistra manu.

ante Martialem Propertius. lib. 3. el 10.

Romanamque tubam crepitanti pellere Sistro.

Ouidius.

——— crepuitq; sonabile Sistrum.

Et vt concludam nemo erit, qui Plutarchum de Sistro loquentem legerit, & Gemmas Nummosque antiquos pertractauerit, qui non mecum sentiat. licet enim Sistrum aliquando ab hac specie variauerit aliquantisper, a Crotalo tamen longe abfuit. Sistrum vero vel motum, & ortum rerum indicabat, ait Plutarchus, vel Nili accessum & recessum vt ait Seruius. nisi dicamus denotasse Hirundinis garritum, in quam Aegyptij fabulabantur Ad VIII. Aeneid.

Plutarchus. *conuersam Isidem, vt necem Osiridis, cuius cadauer prope Byblum inuenerat commodius lugeret. prælucet nonnihil ad hunc intellectū Minucius Fel. ita scribens, & dispice Isidis ad hirundinem Sistrū, & aspersis membris inanem tui Serapidis, siue Osiridis tumulū considera, deniq; sacra ipsa & ipsa mysteria, inuenies exitus tristes, fata & funera, & luctus atque planctus miserorum Deorum. Isidis autem aues videntur fuisse Hirundines, quæ in-*

Plin. lib. 10. cap. 33. *sulam iuxta oppidum Copton eidem sacram ne laceret amnis, incipientibus vernis diebus, muniunt opere, palea, & stramento rostrum eius firmantes, continuatis per triduum noctibus tanto labore, vt multas in opere emori constet. Fuit vero Sistrum*

Plutarchus. *peculiare Isiacorum gestamen, quo Typhonem arceri credebant. & hoc Isidis imitatione, quam Ouidius, Val. Flaccus, Appuleius, Nummi veteres, & reliqua antiquitatis Analecta cū Sistro delineāt. qua de re*

Lib. 12. *Sistratā turbā appellauit Martialis Isiacos teletas.*

Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba
Inter adorātes quum stetit Hermogenes.

Præit Accipiter, cui impositum Ori caput, e cuius mento dependet Serpentis cauda nisi ego male coniicio, acumine uidelicet in mentum infixo, seu vice versa, vt alibi conspeximus. præcedit Accipitrem Leo, a quo Leontopolis desumpsit nomen. ime eidem vt Deo templa erecta sunt. Heliopoli tam-

D. Hieron. contra Iouinian. lib. 2. *quam Vulcano, & Soli sacrum animal in Templi uestibulis alebatur, ut scribit Aelianus, qui cauſ-*

sam

ſam inquirens cur Leo ignem paueat, reſpondet interioris ignis plenum eſſe, ideoque exteriorem horrere. Empedocles autem apud eundem felicissimam prædicat conuerſionem ex homine in Leonem: vt hinc arripuiſſe anſam videatur Apollonius fabulandi, Amaſidis animam in Leone latere, cui Sacerdotes ſacra fecerunt, quemq; vittis teniiſque exornarunt. membra eiuſdem anteriora Igni, poſteriora Aquæ Aegyptij aſſignabant; quia, ſcribit Macrobius, validus eſt Leo pectore & priore corporis parte; at degenerat poſterioribus membris: in hoc etiam Solem imitatus, cuius vicem in veteribus Nummis radiato capite tulit; concinne ad hiſtoriam quam recitat Macrobius, de Leonibus videlicet, immiſſiſque in Regias Naues radijs, quales in Solis capite pinguntur. Succedit Flos qui diligenter intuenti Melilotinus videatur. Porro Melilotus Nili, & extremarum terræ orarum fœtus, Oſiridis & Nephthyos germen fuit, quo Oſiris coronatus inceſſit: ideoque pro faſtigio Oſiridis teſtes eidem impoſiti ſunt, quos ipſemet Oſiris genuflexo veneratur. ſacram Aſpidem alatam, cui Accipitris caput adiectum Pierius Valerianus Baſiliſcum interpretatur. infra hanc videtur Tauri caput, niſi quis Bouis fœminæ malit; tum Perſeæ arboris folium. fuit autem hæc arbos Iſidi ſacra, quod eius folium linguam referret, fructus Cor. ſola præter hæc Nili aqua gaudet: haſque cultus rationes ignoraſſe videtur Socrates apud Caſſiodorum, qui proceritatem, & ſpeciem tantum

lib. 12. c. 7.

Philoſtratus. lib. 5. de vita Apollon.

lib. 1. Saturn. cap. 21.

Cap. 20. Plutarchus. lib. 14. Hierogl.

Plutarchus. Fracaſtorius tamen vir ingenij ſi Deo ſacra tam ceciñit in Poemate, quod Ioſephum inſcripſit Pauſanias Eliacorum priore.

lib. 6. hiſtor. Tripart. vbi de Perſea.

Hermopoli Thebaidis, fruſtra ergo notauit Aelianus, li. 10. c. 22. Perſeã Apollonopoli peculiarẽ eſſe, ſibimet parum conſtans lib. 11. c. vlt. ex eadem arbore victoribus Dionyſiacorum Coronæ parabantur, vt elicio ego ex Callixeno Rhodio apud Athen. lib. 5.

tum ix ea notauit. Rana demum Scabello insidet, supra quam plana illa rotunditas in Apicibus sacris frequens quam Serpens fere totam ambit, præit hæc omnia alata Sphynx, cuius meminerunt Palephatus, & Aelianus. alioqui Aegyptij ex Leone & Virgine Sphyngas perficiebant, quales Romæ spectamus e regione Panthei, & in hortis Calliopeijs. ea scilicet de causa quod Quintili & Sextili mensibus, quorum tutela Leo, & Virgo sint, exuberet Nilus. ita Bellonius, qui addit Monstra hæc Herodoto Androsphyngas vocari. inter Simias numerat Solinus, villosas comis & mammis prominulis affirmans. at Ausonius, & Apollodorus tricorpores vt hic videmus asseruerunt. Sed cur ita frequentes hic appositæ? vt sacrorum doctrinam innuerent latitare; qua etiam de causa pro foribus Templorum eas collocabant: vt docerent præterea Deum & amandum, & timendum esse: feræ enim & hominis imaginem Sphyngas gerere, itaque Deum impijs ferum, iustis humanum esse. & hæc Pictorum licentia Poetarum figmento auctoritatem conciliauit, Thebanam videlicet Sphingen ænigmata proponentem iter cum viatorum discrimine insedisse. ipsa enim ænigma cum esset haud mirum si ænigmata discutienda proponeret. Gryllus tamen apud Plutarchum ex hominis & bestiæ coitu Sphingas enatas ratiocinatur. mox occurrit Apis Nauigio vectus, quale forsan βαλαμηγὸν ναῦν appellat Diodorus. licet

De incredibil. hist li. 12. de hist. ani. cap. 35.
Aelian. li. 12. cap. 7.
Ita Bellonius in lib. de admirab. antiquor. oper. præst. cap. 2.
Anton. August. Numism. Dial. 3. Michael Mercatus de Obelisc. cap. 11.
lib. 2. obseru. ca. 45 & 46.
Cap. 30.
In Monosyllabis.
lib. 3. Bibl.
Plutarchus.
Clem. Alex. lib. 5. Strom.

lib. 1. par. 2. cap. 4.

tet enim οἴκημα κεχρυσωμένον *minimè adsit, id factum videtur ut Apis magis conspicuus sit. & vt nihil quod in mentem venerit indictum sinamus, placuit olim, quod modo abdicamus, hoc nauigium Barin esse, cuius meminere Diodorus Siculus, Porphyrius, Iamblichus, & Propertius lib. 3.*

par.2. cap.5. & 6. apud Theodoret. serm. 3. de myster. Aegypt. Eleg.10

Romanamque tubam crepitanti pellere Sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi.

Videbatur enim hic nescio quis exprimi (Osiris fortasse) qui sedens in puppi conto nauigium impellit, quod forsan ab eius nauigij structura, quod Herodotus Barin appellari testatur, non omnino recedit. accedebat hinc appellatum videri montem illum insignem Armeniæ regionis, in cuius cacumine post cataclysmum Arca Noe consedit. Nicolaus enim Damascenus montem illum Barin vocat: nisi velimus id illi nomen ob altitudinem obtigisse, cum βάρεις *Turres appellatas sciamus: at, vt semel monuimus, seponimus hæc omnia, quæ Diuinationem potius, quam ingenii acumen aliquod sapiunt. mirum autem videtur, vt hoc obiter dicamus, quod de Arca Noe narrat Epiphanius, eius reliquias sua etiamnũ ætate superfuisse; quod & notauit Abidenus Mnaseas, & Neoterici quidam, qui & hodie manere serio adfirmant. Nauigij nostri puppim ornant penna, sacra Serpens, & nobilis ille frutex, qui Isidis*

Euterpe.

Apud Euseb. lib. 9. præ par. Eu. c. 4.

In panario.

Apud Euseb. loc. cit. vide, & D. Hieron. de loc. Heb. in princ. Ioh. Laurẽt. Anania Cosmogr. trac. 2.

capillo

capillo nomen debet. in Prora sedet Isis Lunæ insignibus insignis. porro extra cymbam Osiris, qui cum Iside, Oro, & Anubide limbum vniuersum passim distinguit, Accipitrem veneratione dignum esse monet. Accipiter enim Apollini, ac si dicas Osiridi sacer fuit, & Solis præterea symbolum. est enim igneus & vim habet interimendi inquit Clemens. imo Aelianus inter alia quædam notauit, hanc auem ab Aegyptijs, etiam mortuam, vt diuinam suos Tripodas habuisse. hanc Tentyritæ sanctissime colebant ob pernicitatem, & vim ad Ignem, vt diximus, proxime accedentem. Coptitæ oderant veluti Crocodilorum hostem acerrimam. hinc autem nutare videtur Canon ille apud Strabonem ab Aegyptijs omnibus peræque coli ex terrestribus Bouem, Canem, Felem: ex volatilibus Accipitrem, atque Ibin, ex Aquatilibus Lepidotum, & Oxyrinchum. quæ si vera sunt mirum videtur hos pisces nullibi in Tabula nostra spectari. auget dubitationem Plutarchus, qui eos præ alijs Piscibus exsecrabiles Aegyptijs fuisse tradit. de Oxyrincho tamen aliter Aelianus. erant autem in Aegypto sacrorum Accipitrum curatores, vt & reliquorum animalium sacrorum altores, quorum munera apud Diodorum legas. huc pertinet mansio Hieracon apud Antoninum, nomen sortita vt aliæ pleræque ab animalibus sacris. Caprinum caput vel Mercurij symbolum est ex Marciano Capella, apud quem Caprea cum alijs qui-

Porphyr. lib. 4. de abstin. quem vide.

lib. 5. Strom.

lib. 11. histor. an. cap. 35. Aelian. li. 10. cap. 24.

lib. 17.

Aelian. li. 7. cap 9.

lib. 1. par. 2. cap. 4.

Accipitres, & hodie in Aegypto frequentes sunt. Bello. lib. 2. obser. c. 36.

lib. 2. de Nupt. Phil.

quibuſdam in eius Dei gratiam proponitur ; aut Capram indicat , cui Aegyptij ex Theodoreto diui nos honores detulerunt . quod ad Hircum attinet, fuit is vt ſupra narratum eſt Pani ſacer ea ratione , qua Priapus inter Deos relatus , ex appetentia videlicet indefeſſa generandi

Serm. 7.

Theodoret. ſerm. 3.

O miſeras hominum mentes o pectora cæca !

Vere huiuſmodi deliria dum exagitaret, ſcripſit Arnobius ; ſi contemptor aliquis numinum , & ſacrilegi pectoris immanitate furioſus intendiſſet animum maledicere Dijs veſtris , auderet in eos quidquam grauius dicere , quam iſta prodit hiſtoria , quam veluti quiddam mirabile Commentarij contuliſtis in formulam ? at hoſce Commentarios quam ſpecioſis Titulis exornabant ! fuit qui Libros θεολογουμένων inſcriberet . alij Indigitamenta, Rituales , & Augurales Libros , Commentarios ſacrorum , Rerum diuinarum , Religionum , Pontificalium Quæſtionum . alii alia , propter quæ curioſo Lectori non reſpondere vadato , & perdere litem operæ pretium eſſet . his affinia fuerunt famoſa illa Gnoſticorum , & Carpocratianorum dogmata , quibus humano ſemini veluti rei ſacræ cultus acceſſit , & pecudum more promiſcui concubitus recepti . & hinc natum videtur , vt Fronto quidam perfrictæ frontis homo obiecerit Chriſtianis inceſti conuiuii notam , & adorata Sacerdotis virilia , quod tamen Vir Illuſtriſſimus ad

lib. 5. aduerſ. Gent.

Aſclepiades Mendeſius apud Suet. Pontificales libri apud Prob. in Geor. & Arnob. lib. 2. Cenſorin. de die Nat. c. 7. Cic. lib. 1. de diuin. Feſtus . Nectere . Macrob. li. 3. Saturn. Epiphanius. Clem. Alex. lib. 3. Strom. Theod. Hæret. fab. lib. 1. Apud Minuc. Fel. Cæſar. Baro. to. 1. Annal.

Exomologesin acute retulit: & quidem hæc omnia hæreticis sollemnia, nomini Christiano odium & inuidiam apud Ethnicos conflauerant. hæc obiter. Mendesius Caper a quo digressi sumus, cum multis ac formosis mulieribus includebatur, non vt cum iis misceretur, vt nuper coniecit Vir doctissimus, sed forsan in gratiam peruigiliorum, quæ apud Gentem superstitiosam vt reliqua omnia inualuisse facile arbitramur. cuius rei extant apud Auctores plerosque non obscura vestigia. at his quæ supra diximus videntur aduersari Theodoreti verba quæ sunt; τάυτην δὲ τὸν Ἄπιν τὸν βοῦν δὴ λέγω Αἰγύπτιοι τρέφουσιν, τὸν δὲ μένδλιν τῷ μήνῃ. *auget dubitationem Interpres, qui hæc ita vertit. huic (Lunæ) Apin Bouem ita dictum Aegyptii nutriunt: Soli vero Hircum, quem vocant Menden. at non* MENΔHN *sed* MNEYIN *legi & m. 5. Codices & ratio postulant, vt & vidit F. R. SYLBVRG. Vir doctus, & Reipublicæ litterariæ amans. vocem vero Hircum interpretem sibi habere iubeamus, qui de suo largitus est. quamquã si hosce commentitios Deos ad indigestam illam congeriem de qua in præfatione egimus, redigere velimus, nihil prohibeat Soli Menden sacrum esse. at ridicula hæc numina, Apis videlicet cum Hirco, ita videntur fuisse hominum sermonibus celebrata, vt Maximus Tyrius nescio cuius meminerit, qui ex Europa nauigauit in Asiam, vt præter cætera* ἥ βοῦν, ἥ τράγον *videret. De Cercopitheco*

Plutarchus in Gryllo.

Serm. 3.

Serm. 6.

pitheco satis alias. nunc de Arula bipede vt videtur, in qua stat Vrceus e Silanis duobus aquã in modiolos effundens. Vrceo superne infixa Crux Sarapidem notat, in cuius adytis hoc signum olim compertum diximus. Modiolos ad eundem pertinere iam pridem ostendimus. at Sarapis per Aquæ effusionem consueuerat excitari. in Osiridis pompa vas aquarium præcedebat; in Isidis amphora quam hydriam videtur appellare Vitruuius. de Canopo, quẽ hieracosphynx amplexatur, & præferre videtur præter Poetas, apud quos frequẽs eiusdẽ mentio est, ita Eusebius lib. 2. histor. Eccl. apud Rufinum: ipsius (Canopi videlicet) simulachrum pedibus perexiguis, attracto collo, & quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorso æqualiter tereti formatur. Epiphanius præter hæc affirmat Canobum Menelai Gubernatorem, eiusdemque vxorem Eumenuthin Alexandriæ sepultos, coli ad Ripam Maris XII. ab Vrbe lapide, in ostio uidelicet Canopico, de quo Veteres Geographi consulendi, Strabo præsertim, qui & ab Eiphanio in locorum interuallo discedit, & cum ipso Canopitarum mores, & sacra luxuriæ, nequitiæque comperta scribit. Aristides tamen nobilis ille Sophista ex Aegyptii Sacerdotis sermone serio negat Canobũ a Menelai Gubernatore nomen traxisse. multis enim ante sæculis, quam appelleret eo Menelaus id nominis ei loco fuisse. eundem huius uocis sonum aliter atque Græci effe-

Porphyr. li. 4 de abstin. Plutarchus.

Appul. li. 11. Metam. In Prohem. lib. 8.

In Ancorato.

Lib. 17 vidẽ dus & Eunapius in Aedesio.

In Aegyptiaca.

rant, pronunciasse; vt huius forsan loci sit quod
lib.1.instit. cap.5. monuit Quintilianus, Ciceronem Canopitarum exercitum dixisse, at ipsos Canobon vocare. vocabuli interpretamentum idem ille Sacerdos aiebat esse aureum solum, ea ratione (si diuinare licet) quod
Aristoteles lib. 2. de re familiari. ibi olim ante Alexandrum mercatorum conuentus ageretur. supradictis calculum adiecit Plutarchus, qui improbat Canopum Gubernatorem appellantes. & hæc specioſe magis dicta, quam vere. cum enim ethnici homines viderent detegi Christianorum scriptis quicquid ipsi olim veluti sacrum coluerant, vt veritati obicem opponerent rem alio trahere conabantur. frangit hic sese limbus vergens ad inferiorem partem, in qua notandus videtur Leo procumbens cum arietinis cornibus, apiceque Lunari. quæ omnia non incommode interpretari possimus si dicamus Lunam non nisi post occidentem Solem conspicuam esse. vt missas faciamus toties inculcatas Solis, & Lunæ; Osiridis & Isidis relationes. restant in hoc limbi segmento Siren cum alis quaternis, Hieracosphynx
Lib.1.de Natura Deor. alata, & Ibis, quam graphice delineauit Cicero his verbis, Ibes maximam vim Serpentium conficiunt cum sint aues excelsæ, cruribus rigidis, corneo proce-
Aelian.li.2. hist.an.c.38. Plutarchus, & Clem.5. Strom. roque rostro. fuit hæc Isidi sacra Auis, tum quia ad Lunæ rationẽ, quam pennarum etiam varietate exprimit, oua fingit; tum quia tot diebus oua excludit, quot Luna crescit & decrescit. eiusdẽ intestinum Luna deficiente comprimitur. ad hæc extra
Aelian.li.10. cap 30. Aegypti fines non progreditur, exportata vitam

citius,

citius, quam patrij ſoli deſiderium abijcit. Conſecrationis cauſa fuit vtilitas. Serpentibus enim alatis ex Arabia in Aegyptum aduentantibus obuiam procedens eas conficit, earumque oua diſperdit, vt patet ex Herodoto, Plinio, Solino, Iuuenale. qua potiſſimum de cauſa capite pœnas luebat qui etiam imprudens Ibin occidiſſet ait Herodotus, qui ſanctionem hanc etiam ad Accipitrum necatores protendit. de Ibide teſtatur eadem Diodorus, additque oculatus teſtis eandem pœnam manere aluri etiam inuoluntarios interfectores. adiungit Cicero V. Tuſculana Aſpidem, Canem, Crocodilum. vere ergo Pomponius Mela, colunt (Aegyptij) effigies multorum animalium, atque ipſa magis animalia: ſed alij alia, adeo vt etiã quædam eorum per imprudentiam interemiſſe capitale ſit. hac ſuperſtitione prudenter vſus eſt Cãbyſes dum Peluſium oppugnaret. cum enim Aegyptij miſſilibus eius exercitum vexarent, is κύνας πρόβατα ἀιλούρους ἴβεας ante agmen vtili conſilio collocauit. Aegyptij enim iaculari deſiterunt. tot vero labores Ibis incaſſum obibat, ſi vera ſunt quæ prodit Theophylactus Simocatus homo Aegyptius, Aegyptios videlicet eiuſdem ouis inſidiari, ne ſcilicet cum veneniuora ſit malum aliquod pariat. Ibis pollutas aquas eo vſque refugit, vt nõ alia ſeſe abluerent aqua Sacerdotes quam ea, cuius auis hæc bibendo puritatem approbaſſet. cum Crocodilo eas inimicitias gerit, vt eiuſdem pennarum contactu, ſi Aeliano credimus, Crocodilus ſtatarius efficiatur. Simocatus ve-

Lib. 2.

Lib. 1. par. 2. cap. 4.

Lib. 1. c. 4.

Poliæn. li. 7. Strateg.

Quæſtio. Phyſ. 14.

Plutarchus. Aelian. li. 7. cap. 40. Lib. 10. c. 30.

ro idem de Serpentibus scribit, cuius testimonio libens subscribo, cum inter Ibin, & serpentes magnæ intercedant, eaque naturales vt diximus inimicitiæ.

Cicero li. 2. de Natura Deor. Plin. lib. 8 c. 27. Antoninns itinerario.

vsum insuper Clysteris inuexit, & inter sacras scalpturas multiplici argumento recepta est. ideoque in tot benefactorum gratiam prope Hermupolin mansio fuit, quæ ab Ibide nomen duxit. his vt par erat perpensis mirum non erit quod Cornel. Strabo notauit, Alexandriæ ad fastidium vsque Ibides frequentes fuisse. præit Ibin Aspis, cui præter Isidis caput, Alæ quoque alienæ adiectæ sunt. quæ species facit, vt mihi succurrat modo Dracunculus ille, quem

Lib. 17.

Apud Lucianũ in Pseud.

Alexander Abonotichita egregius ille impostor inimicæ diuinationis vsum comparauerat. & quidem, vt obiter moneamus, Plani illius festiuæ impostura aliquid commune habent cum oraculo Iouis Heliopolitani, quod absentibus, non resignatis codicillis, rescribebat. ducit agmen huiusmodi bestiarum Gallina, siue ea Mauritana, siue Meleagridum e genere sit, quæ cum Alis expansis, & Vropygio, caudaque eam sacræ Vestis speciem pene repræsentat, quam Pluuiale vocant ab antiquorum Penula desumptam. Deflectit hic iterum Limbus vt infimam Tabulæ partem ambiat. ibi inter cetera eminet Orus decumbens in lecto, quem

Macrob. li. 1. Sat. c. 23.

Lib. 5.

Callixenus Rhodius Sphingopedem apud Athenæum appellasset. sub lecto Canopi tres, Canis seu Lupi, Accipitris, & Hominis capite insigniti. de Cane inferius. nunc de Lupo (si tamen is Lupus est) age-

mus

mus. Delphi Lupum animatam Solis imaginem olim venerabantur, quia hoc animal, vt exponit Macrobius, omnia corripit ad instar Solis, qui radiorum vi omnia ad se trahit. hinc Apollinis Lycij cognomentum. hinc Aegyptiorum Lycopolitana superstitio Apollinem, & Lupum pari prosequentium cultu. vnde natum vt Lycoctonon herbam in Aegyptum importari vetuerint. hinc Lycos oppidum, & Lycopolitis præfectura. Græcis tamen aliter visum, qui Apollinem Luporum interfectorem coluerunt. hisce transuectis accedit Bos fœmina ni fallor, quæ vt ait Solinus Api ostenditur in anno semel: & ipsa non absque certis insignibus. quæ vt inuenta, & oblata est, eadem die statim neci datur. suadet Gallina quæ expansis alis ita dorso eiusdem, vt Isidis vertici insidet. præter hæc in Hermopolite nomo Veneri Sacram Vaccam venerabantur. in vniuersa Aegypto Boues fœminas in Isidis gratiam colebant. hæc minimo excipit interuallo Auis procumbens cum Osiridis capite, quam si Ibidem esse fateamur, indicio erit non absque Dei munere & mente ferri Ibides in exitium anguium pinnatorum. Androsphinx hanc contuetur, vt rem forte mysteriorum ambagibus inuolutam indicet. & sane in hoc Monstro nouum quidpiam cernimus, barbam videlicet, cuius in tota Mensa nullibi vestigium extat. nisi dicere libeat id in Hirci gratiam præstitum fuisse, quem turpe erat inter imberbes Apparitores conspici, imo maius miraculum videtur barbam Hirco demptam fuisse,

Aelian. li. 12. cap 37.

Lib. 1. Satur. cap. 17. Aelian. li. 9. cap. 18. Iohan. Cassian. lib. 4. de instit. renūc. cap 23. Plin. lib. 5. cap. 9. Phurnutus, de Natura Deor. Iulia. Aurel. de cognomin. Deor. lib. 1. cap. 4. Cap. 35. Aelian. li 10. cap. 28. Herodotus lib. 2.

Sti-

Stipatoribus non item. vt cumque sit, in Cymba, quæ superiori illi e regione respondet, cernimus bicipitem Hircum, qualem Bocchori apud Aegyptios regnante extitisse scribit Aelianus. & nisi iam dudum parum firmas coniecturas ablegassemus, non deessent speciosa saltem argumenta, quibus hunc Aegyptiorum Ianum esse assereremus. Cymbæ tutela sunt Perseæ fructus, Accipitris caput, & sacra Serpens, quæ omnia Osiridem indicant, qui vtrobique Portitoris vicem gerat. accedunt Phœnicopterus, Isidis apex & ante Cercopithecũ genua flectens Anubis, mox Scarabeus cum Osiridis capite, quod vnum ad implendam fabulam deerat. idem caput ornant Isidis insignia eo mysterio, de quo superius verba fecimus. Scarabeum excipit Canis, cuius ope Isis maritum conquisiuit. ideoque Canes præire pompam in eiusdem festo consueuerunt addamus ex Aeliano cœlestis canis exortu Nili alluuionem incipere, quam nullis non lætitiæ generibus Aegyptij excipiebant, vt ex Aristenæto Rhetore narrat Nonnus, cui subscribunt Eusebius, & Heliodorus, qui scribit Nilum, quem ipse Osiridem appellat ab ijsdem pro Deo coli. quod cernimus, & in veteri nummo apud IOH. MOCENICVM *Patric. Venet.*

Lib. 12. hist. an. cap. 3.

Diodorus Sicul. lib. 1. par. 2. c. 4. Lib. 10. c. 46.

Ad II. inuectiu. D. Nazianz. Lib. 4. de vita Cõst. c. 25. lib. 9. Aethio ic.

vt apposite ceciniſſe videatur Parmeno Byzan- Lib. 5.
tius apud Athenæum.

Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε

Nec deerant qui crederent Iſidis lachrymis Ni-
lum augeri, vt ex homine Phœnice ſe inaudiuiſſe te-
ſtatur Pauſanias. ſcribit autem Iohannes Leo Afer In Phocic.
etiam nunc in Aegypto manere ob Nili peractam fe-
liciter alluuionem feſtos dies ſeptem illi Genti cele-
bres, quos ab antiquorum ritu manaſſe & ipſe notat.
de Memphyticis canibus, vt ad ſemel cœptam nar-
rationem redeamus, mirum quidpiam refert Aelia- lib. 7. c. 18.
nus in commune prædam exponere, & Deorum ſi-
mulacra, quod & Horapollo de omnibus notauit, lib. 1. c. 39.
inconniuentibus oculis intueri. Plutarchus vero ſcri-
bit canem Mercurij nomine Aegyptiace appellari.
id fuit Ciceroni, & Lactantio Thoth, vel Thoyt, li. 3. de Nat. Deor.
Euſebio Taaut, facili & recepto tranſitu vocalium lib. 1 defal. rel. cap. 6.
AV in O. eius vocis veſtigium etiam hodie Aegy- lib. 2. præp. Eu. cap. 6.
ptij retinẽt. vt enim mihi narrare conſueuit V. Exc.
PROSPER ALPINVS, *Aegyptij vt Canes ad diri-*
pienda propoſita cibaria prouocent inclamare conſue
uerunt Tao, Tao. imo conijcere licet hinc manaſſe

vernaculam vocem To, To qua canes interdum allicimus. neque vero ab instituto nostro alienum erit
De Iside, & Osiride. *si mendacij arguamus Plutarchum, qui Canem refert diuinos honores amisisse, quod Apidis a Cambyse proiecti cadauer depastus esset. vt enim Herodotum missum faciamus, qui disertis verbis scriptum reliquit, Apin Cambyse inscio tumulatum,*
Lib. 5. *cum sauciatus femur in templo iacens extabuisset;*
lib 2. contra Apion. *quod ad Canem attinet, præter Diodorum, & Iosephum, satis aperte cecinit Iuuenalis.*

Sat. 15. Oppida tota Canem venerantur ——

D. Hiero. in Esai. Itiner. Antonini Plinius lib. 5. cap. 9. Strabo lib. 17. *Huius gratiæ data sunt Cynopolitis Nomos, & κυνῶν oppidum prope Thmuin, vbi Anubis colebatur, canibusque honor & sacra cibaria constituta erant. in postrema limbi sectione occurrunt adspectanda Mneuis, aliusue quispiam e sacrorum Taurorum numero. inde Anubis, seu Mercurius. Scorpius dein Isidis caput gerens, & humanas chelas, ad indicandum, vt ego quidem sentio, charitatis nexum*
Marcian. Capella li. 2. de Nupt. Phil. *inter Isidem, & Anubin. Themis enim Philologiæ nuptum eunti in Tabella Mercurij argumentum obtulit minitantem Nepam. postremo adest Osiris Hippopotamum hasta veluti confecturus. Hippopo-*
Plutarchus. *tamus vero apud Hermupolin Typhonis symbolum fuit, concinne ad eius immanẽ Naturam, cum in Equo Nilotico, quem Elephantum Aegyptium ap-*
Lib. 4. *pellat Achilles Statius, parricidium, & incestum notauerit Horapollo. is tamen in Nomo Papremi-*
lib. 1. c. 56. Herod. lib. 2 *tano cultus est, ne scilicet præclara bestia tot immanibus*

nibus feris inuideret. Typhonem insuper apud Aegyptios expressit Asinus, quem ideo Coptitæ male habebant. & vt ex Plutarcho adnotauit Aelianus, Busiritæ, Abydeni, Lycopolitæ tubæ clangorem, vt asinino ruditui persimilem oderant. huc referenda Minucij Fel. verba; nisi quod vos & totos Asinos in stabulis cum vestra Hippona consecratis, & eosdem Asinos cum Iside religiose deuoratis. ita capienda illa Appuleij, depelle Quadrupedis diram faciem, & pessimæ mihique detestabilis iamdudum belluæ istius corio te protinus exue. Festiue autem Ochus Persarum Rex, qui cum se ὄνον ab Aegyptijs vocari intelligeret, Apidi quem mactauerat Asinum substituit, & coli iussit, malo tamen euentu. Bagoas enim, seu Vagao Aegyptius, Spado Regius patrij numinis contumelia irritatus Regem interfecit, Felibusque discerpendum proiecit, vt Isidis iniuriam sacrum Isidi animal vlciscereretur.

Plutarchus.

lib. 10. c. 29.

lib. 11. vbi & nefandũ Asini tegmen appellat.

Plutarchus, & Aelianus loc. cit. & lib. 4. de var. hist.

Aelian. li. 6. var. hist. Sulpic. Seuer. lib. 2. histor. sacr.

AVCTARIVM.

EMblemata hæc mi Lector in Aceruum quem vides eo instituto congessi, vt rerum superius explicatarum series ne disrumperetur. quędam ibi apponere, prout res poscebat, necesse habui: feci tamen cum modo & parce si copiam spectemus. quę nunc tibi dantur commentario nostro adiunges si operæ prætium videbitur. si minus abiunges ego certe selecta, & edecumata in medium attuli, factura dubio procul ad eorum Palatum, quibus Explicatio hæc mea sapiet aliquantisper. Sectariorum veterum Hieroglyphica, nugas verius, adiunxi permotus doctorum Virorum adhortatione, & impulsus exemplo Illustrissimi Viri CÆSARIS BARONII Card. qui historiam anni cxx scalpta huius generis Amethysto exornatam voluit, & locupletatam. & sane plerique Principes eius scolæ, qui nomine tenus Christiani olim iurarunt in magistri Diaboli verba, Aegyptij natione fuerunt. in his Marcus, qui Hispanias infecit; Basilides magister luxuriæ, turpissimorumque complexuũ; & Carpocrates inquinati, & cœnosi dogmatis assertor. alij Aegyptiorum doctrinis imbuti, vt Cherintus pestilens

ille

ille nouator. vt minime mirum videri debeat si Lotum, Harpocratem, & reliqua Aegyptiorum somnia in eorundem symbolis conspicia mus nec defuerunt qui Pythagoræ & Platonis axiomata ex Aegypto plurimum exportata in vsus conuerterent dogmatum insanorũ. talis Valentinus, cuius egregiæ contemplationi acceptos ferimus multiplices illos Aeonas, Acamoth & Iao monstrosa nomina. & puerorum mulierc ularumque inania terriculamenta. tales Seleucus, & Hermias Galatæ, qui DEO Optimo Maximo actui puro, summo enti, & Materiæ impuræ potentiæ, infimoque pene dixerim non enti, æternitatem eandem tribuerunt. Deliria hæc satis superque confutarunt Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Tertullianus, Theodoretus, alijque quorum laudatos labores quotidie magis magisque admiramur sanctissimi & doctissimi Viri. eorum illustria scripta obscura hæc e tenebris in lucem euocabunt, in qua veteris historiæ amantes versabuntur cum fructu & delectatione. mihi sat erit hęc veluti digito commonstrasse, & excitasse alios ad Ecclesiasticæ historiæ non minimam accessionem qua corrigendam qua illustrandam.

FINIS.

ΜΕΜΦΙ
ΛΙΑ

H

L
I



M


CABA
ABPACA
IAW
SADA



ΜΙΧΑΗΛ
ΓΑΒΡΙΗΛ
ΟΥΡΙΗΛ
ΡΑΦΑΗΛ
ΑΝΑΝΑΗΛ
ΠΡΟCΟΡΑΙΗΛ
ΥΑΒCΩΗ.


ΤΑΛΑ
ΑΡΑΙΩ
ΩΑΡΔΟΡΟ
ΝΤΟΚΟ
ΝΒΑΙ


ΙΑΩ
ΑΒΡΑCΑΞ

ΓΙΓΑΝ
ΤΟΡΗ
ΚΤΑ

Special 83-B
7605

THE GETTY CENTER